

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiaspiritu0000unse_d7w7

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

P. IOSEPHUS DE GUIBERT S. I.

THEOLOGIA SPIRITUALIS

ASCETICA ET MYSTICA

FASCICULUS I:

Introductio in studium theologiae asceticae et mysticae

AD USUM PRIVATUM AUDITORUM



ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
IN « VIA DEL SEMINARIO, 120 »
—
1926

23042

PARS PRIMA.

Introductio in studium Theologiae Asceticae et Mysticae

CAPUT I.

Introductio methodologica.

A) Definitio theologiae spiritualis, asceticae et mysticae.

GERSON, *Theol. myst. spec.* cons. 1; 28-34, *Opera* t. III. 305, 383 — VALLGORNERA, q. 1, a. 1-2: — DOMINICUS A SS. TRINITATE, *Bibliotheca*, t. 7, l. VII, sect. 1; — IOSEPHUS A SPIRITU SANCTO, *Cursus theol. mystico-scholast.*, t. I, Disp. 1; — F. BOTTENS, *Iudicium Pacifici Salomonis*, p. 59 124; — LA REGUERA, t. 1, p. I, q. 1 (n. 1-72), cf. q. 2-4 (de natura theologiae mysticae); — MUTZ, § 5; — ZAHN, § 2 et 5-6; — DUBLANCHY, art. *Ascétique*, D. TH. CATH, t. I; — JEAN DE LA CROIX, *Ascétique et mystique*, Paris, 1912; — VERMEERSCH, *Theol. Moralis*, I (1926), n. 2; DE GUIBERT, « *Mystique* », RAM. 1926, p. 3-16.

1. Ascetica et mystica communiter dicitur ea pars theologiae in qua tractantur quaestiones spectantes perfectionem vitae christianae eiusque studium; ut autem pressius hic definiatur, pauca praemittenda de praeviis notionibus et de vocis utriusque historia.

Vita supernaturalis, a naturali contradistincta, constituitur actibus quibus homo, ad finem supernaturalem visionis Dei intuitivae elevatus, habitibusque et gratiis ornatus quibus huic fini proportionatur, in hanc libere tendit.

Vita spiritualis, materiali opposita, — sensu quidem lato intelligitur saepe activitas vitalis hominis in quantum spiritus est, activitas scilicet intellectus et voluntatis. — Strictius au-

tem opponitur activitati hominis circa bona huius vitae, huius *mundi*, et signat eius activitatem circa bona animae supernaturalia, in futura vita plene possidenda et consummanda (cf. oppositionem inter *caro* et *spiritus* in N. T., praesertim apud Paulum, PRAT, *Théologie de S. Paul*, II (1923) p. 81-90 et nota O, p. 487). — Strictissime tandem signat hanc supernaturalem activitatem quatenus exercetur non tantum gradu infimo, sufficienti tamen ad haec bona aliquo modo assequenda; sed plenius et intensius. Unde usus vocum *spiritualitas, vir spiritualis*, etc. connotando ideam altioris vitae christianae.

Vita interior fere idem dicit: ex oppositione tamen ad vitam exteriorem, signat hanc spiritualem vitam quatenus principia eius interna sunt homini, actibusque constituitur internis, actus vero externi valorem hauriunt ex internis agentis dispositionibus. — Unde saepe connotat *orationis*, mentalis praesertim, amorem, studium et frequentem praxim, necnon veritatum et rerum supernaturalium habitualem memoriam et affectum.

Perfectio spiritualis (de cuius natura fusius infra disputabitur) signat modo generali quamdam plenitudinem huius vitae spiritualis, cui nihil desit ad completam eius evolutionem (in hoc vel in futuro saeculo). — *Sanctitas* vero (vi sensus originalis ipsius verbi) connotat potius puritatem animae a peccato, eiusque cum Deo unionem seu consecrationem; ideoque respicit potius donum gratiae habitualis in ea permanentis, perfectio autem eius modum agendi.

2. Utriusque **verbi**, *ascetica* et *mystica*, breviter recolenda historia ut melius intelligantur hodiernae de eorum sensu controversiae:

a) — **Mystica** apud Graecos dicebantur quae pertinebant ad Mysteria, Eleusinia etc.: hinc duplex elementum in sensu huius verbi signantis quid *religiosi* simul et *occulti* seu secreti, sive agatur de ritu aliquo, sive de doctrina [1].

[1] De ipso verbo μυστήριον et variis eius sensibus in lingua christiana cf. PRAT, *Théologie de S. Paul*, II, 1923, not. L, p. 467. Videtur verbum μυστικόν assumptum esse a christianis prout iam in usu erat apud gentiles, scilicet cum significatione exclusive religiosa; dum μυστήριον etiam sensu profano (res secreta) usurpabatur.

Apud Christianos, mystica dicitur ab Alexandrinis cognitio profundior et perfectior veritatum fidei, non passim omnibus communicanda: sic v. g. ORIGENES, *in Ioannem* I, 30 (33), M. 14, 80, ἀπόρρητα καὶ μυστικὰ θεωρήματα; ibid. XIII, 25, M. 14, 440, μυστικὴ καὶ ἀπόρρητος θεωρία. — Similiter, METHODIUS, *de Creatis*, 1 : μυστικὰ καὶ τελειοποιὰ τῆς... πίστεως διδάγματα; cf. de *Autexusio*, n. 1.

Hinc etiam *theologia mystica* (apud Ps. DIONYSIUM) [1] dicitur cognitio Dei ipsius (*theologia* prout apud PP. Graecos distinguitur ab *oeconomia*) magis intima, magis occulta et sacra, ex unione cum Deo orta, superior cognitioni quae ex solo ratiocinio vel sola ordinaria doctrina fidei habetur (antea *gnosis* fere eodem sensu).

3. Quae vox, simul cum scriptis Ps. Dionysii, transit in linguam latinam et fit valde frequens apud theologos medii aevi; apud quos postea fit transitus ad sensum quo *theologia mystica* significat hanc partem scientiae theologicae quae agit de hac mysteriosa Dei cognitione ex oratione et contemplatione hausta. Hinc distinctio inter theologiam mysticam *practicam* (haec ipsa Dei cognitio) et *speculativam* (scientifica inquisitio de hac cognitione): v. g. apud Ioannem GERSON qui de utraque distinctum scripsit tractatum.

Inde tandem sensus latior quo theologia mystica complectitur integrum studium theologicum de vita spirituali considerata ut praeparatio ad unionem cum Deo in contemplatione (ita saepe saec. XVI° et XVII°, et nunc iterum). – Cf. de GUIBERT, « *Mystique* », RAM. 196, p. 3-16.

4. *b)* — **Ascetica**, ex verbo graeco ασκεῖν, prius ornare, aptare laborando; dein exercitio facere aliquem aptum; tandem exercitio discere artem aliquam, speciatim athleticam. —

(1) Iam habetur verbum *theologia mystica* saec. IV°, apud Marcellum Ancyranum (EUSEBIUS, *Contra Marcellum*, I, 4) et saec. V° apud Marcum Eremitam, PG. 65, 1053, 1056. Notandus etiam, eodem saec. V°, usus verbi θεολογία apud DIADOCHUM Photicensem, *de Perfectione spirituali*, c. 7-9 et 67-72, ubi χάρισμα Theologiae est idem ac *donum sapientiae*, distinctum a *dono scientiae* (γνῶσις), sicut gnosticus distinguitur a theologo (de ipso dono theologiae cf. c. 72). Saec. IV° apud GREGORIUM NYSSENUM invenimus verbum μυστικὴ θεωρία, contemplatio mystica (*in Cantic.* I, PG. 44, 765 A).

Hinc (iam apud HERODOT., 3, 125, et PLATONEM, *Euthydem.* 283) vox translata ad exercitium *virtutis,* iustitiae, etc. — Inde voces derivatae: ascetes, ascesis, asceticus, de exercitio alicuius artis, imprimis athleticae.

Apud Christianos, Paulus ipsum verbum semel tantum adhibet, *Act.* 24, 16; sed pluries comparationem instituit inter exercitia vitae christianae et exercitia athletarum (*1 Cor.* 9, 24-27; *Phil.* 3, 13-14; *2 Tim.* 4, 7-8, cf. PRAT in R. A. M. 1921, p. 3-22) (1). Iam a primis saeculis communis fit usus verbi *ascetes* ad significandum eos qui difficiliorem instituunt pugnam contra carnem, ex professione publica castitatis perfectae. Hinc ascesis, ascetica, de exercitiis monasticae vitae (cf. *Ascetica* Basiliana).

5. In lingua latina, verbum antiquitus non usurpatur (nisi ut transcriptio verbi graeci, ut *Itinerar. Silviae,* 3, 4; 10, 9); nec in Medio Aevo videtur fuisse in usu. Recentius autem transivit ex graeco in linguam latinam et linguas vulgares. Unde tandem vox *theologia ascetica,* ex analogia cum verbo *theologia mystica,* multo antiquiori: ita P. SCHORRER, SI., *Theologia ascetica,* Romae, 1658, in qua etiam de contemplatione infusa tractat (laudatur a P. ADOLPHO, II, 549, DOBROSIELSCIUS OM. *Summarium theologiae asceticae et mysticae,* Cracoviae, 1655). Tandem saec. XVIII°, quando restringitur usus vocis mysticae ad signandas gratias magis peculiares et infusas, contradistinguitur uterque ambitus asceticus et mysticus, v. g. in utroque *Directorio* a SCARAMELLI conscripto vel in utroque volumine tractatus Patris MEYNARD de vita interiori.

Quoad **rem** vero distinguuntur:

6. *a) — Theologia ascetica-mystica et ceterae theologiae partes.*

Usque ad finem medii aevi theologia, id est scientia de Deo rebusque divinis ex veritatibus revelatis comparata, integra per modum unius tradi solebat (v. g. in *Summa* S. THOMAE), etsi iam aliqui theologi magis insistebant tradendis pe-

(1) Nota adhiberi etiam ad significandam spiritualem exercitationem verbum γυμνάζειν, v. g. I *Tim.* 4, 7-8; *Hebr.* 5, 14; 12, 11.

culiaris alicuius generis conclusionibus, v. g. practicis, ut G. Peraldus vel S. Antoninus.

Postea vero, ad commodius studium et expositionem, coeptae sunt distingui variae partes in theologia, inter quas theologia ascetica et mystica, inde a saeculo XVII° (prius in libris conscribendis, dein etiam in praelectionibus habendis, v. g. apud Carmelitas, de theologia mystica). Quae pars theologiae cum sit practica, eo ipso facile distinguitur a theologia dogmatica speculativa; accuratius autem quaerendum quomodo etiam distinguatur a theologia morali et pastorali.

7. A **Theologia morali** non eodem modo ab omnibus distinguitur: Alii (v. g. Schram, I, n. 1; Mutz, n. 5, 3; Card. Vives, n. 12; P. Adolphus n. 8; Tanquerey n. 8-9) tenent in theologia morali agi de praeceptis et de virtutibus in quantum earum praxis est obligatoria, in ascetica vero et mystica de consiliis et modo generali de perfectione christianae vitae ultra id quod est praeceptum, quatenus haec « non sistit in peccatis solummodo vitandis, sed ulterius procedit ad mores per consilia perficiendos, usque ad unionem voluntatis creatae cum Divina per summos apices » (Schram).

Alii (v. g. Seisdedos, *Mistica,* I, 35; Vermeersch, *Th. Moral.* I, 1-2) tenent theologiam moralem complecti integram morum regulam revelatam, ideoque non tantum *praecepta,* sed etiam *consilia.* Theologia vero ascetica et mystica quaerit quomodo, quibus viis et gradibus, quibus mediis et auxiliis, homo, iuxta principia revelata, perveniat ad illam vitae christianae perfectionem qua praecepta et consilia, quae in theologia morali didicit, plenissime pro huius vitae conditione exerceat. Licet igitur et ipsa scientifice et theologice de perfectionis natura et causis disputet, ceterasque conclusiones suas stabiliat, prope tamen accedit etiam ad artem qua acquiritur dexteritas in applicandis practice conclusionibus illis mediisque adhibendis; unde dicitur *doctrinalis* simul et *directiva* disciplina.

Quae altera sententia praeferenda videtur: melius enim convenit cum modo quo revera practice ponuntur et distinguuntur quaestiones in utraque disciplina solvendae, ita ut non bis, in utraque, eadem occurrat quaestio v. g. de patientiae vel fortitudinis natura, ex qua deducentur harum virtu-

tum tum praecepta, tum consilia. Quapropter hic ad theologiam moralem remittimus integram tractationem systematicam de variis virtutibus (prout habetur in *II a-IIae* S. THOMAE): de quibusdam tantum quaerendum erit quale momentum peculiare habeant in studio perfectionis, cur iisdem in hoc vel illo gradu vitae spiritualis magis sit insistendum, aut etiam *quomodo,* quibus mediis, practice earum possit acquiri perfecta possessio.

8. Theologia pastoralis ministros Ecclesiae docet quomodo, iuxta principia revelata, curam animarum sibi commissarum gerere debeant; ideoque et ipsa accedit ad artem et aliqua complectitur quae communia sunt ipsi cum theologia ascetica et mystica, quatenus nempe unum ex praecipuis pastoris muneribus est ducere ferventes animas usque ad perfectionem. Differunt tamen quia hoc perfectionis studium theologia ascetica et mystica habet ut obiectum essentiale et unicum quo specificatur, nec tantum partiale ; et de illo agit non tantum in ordine ad spirituale bonum aliorum procurandum, sed etiam et primario in ordine ad propriam sectandam perfectionem.

9. Ita generatim fit practice: quaeri autem iure potest nonne ad asceticam disciplinam potius quam ad pastoralem pertinere debeat quaestio de modo ducendi animam non tantum ad altiorem perfectionem, sed etiam ab ipso peccati statu ad iustitiam christianam? cf. MARCHETTI, *Le seuil de l'ascétique.* R. A. M. 1920, p. 36-46. Descriptio et analysis facti ipsius conversionis, sive ab errore ad fidem, sive a peccato ad iustitiam, potius ad psychologiam religiosam pertinet cuius constituit unum ex praecipuis obiectis (imo apud multos praesertim protestantes obiectum primarium). Quaestiones autem circa modum procurandi conversionem incredulorum et peccatorum et circa varia media in hunc finem adhibenda, iure haberi possint ut quaedam introductio in theologiam asceticam, vel etiam ut pars eius si definiatur « disciplina sacra qua homo gratia adiutus ad iustitiam christianam eiusque perfectionem contendit ».

Revera tamen de conversione non agunt auctores theologiam asceticam exponentes (nisi forte aliqui breviter, ut MO-

ROTIUS [BONA], *Cursus vitae spirit.*, n. 1-2); modum autem convertendi haereticos et peccatores docent tractatus theologiae pastoralis. Cuius rei praecipua ratio haec fere videtur: in convertendis animis munus pastoris est saepius quaerendi eos qui Deum aut veram fidem non quaerunt, dum ascetica potius considerat eos qui Deum iam possessum plenius possidere volunt; hinc diversitas in modo agendi mediisque adhibendis, licet plura communia sint in utroque opere, praesertim ubi adiuvandi sunt peccatores vel increduli qui ex statu suo misero ipsi ardenter resurgere cupiunt.

Intimius etiam cum ascetica connectitur alia theologiae pastoralis pars, disciplina nempe catechistica, in quantum praesertim rectus eius conceptus involvat spiritualem puerorum formationem in ipsa catechesi procurandam. Recte igitur P. HAYNEUFVE v. g. *(Réponses,* t. I, 1663, traités 4-5) quaestionibus de via purgativa praemittit specialem de pueris tractationem.

Hic autem, iuxta magis receptum auctorum usum, magisque aptum ordinem ad res clarius proponendas, perfectioris vitae christianae studium in primis respiciemus ; de conversione autem et de prima puerorum formatione spirituali, breviter aliqua dicemus ubi de statu incipientium. At multa ex iis quae in parte generali tractatus dicentur facile applicari poterunt in utroque illo casu peculiari.

10. *b)* — **In ascetica a mystica distinguenda** multo minus etiam conveniunt auctores, etiam recentiores, cum varius, ut vidimus, fuerit praeteritus usus horum verborum, hodieque haud paucis magis placeat huius vel illius saeculi usus ideoque redintegrandus videatur.

— Alii in theologia *ascetica* includunt « omnem theoriam et praxim vitae spiritualis usque ad contemplationem infusam exclusive », in *mystica* vero quae pertinent ad hanc contemplationem, ab ineunte oratione quietis ad unionem consummatam matrimonii spiritualis (TANQUEREY, n. 10-11).

— Iuxta alios *ascetica* tractat de tribus viis, purgativa, illuminativa, unitiva, quatenus in iis homo progreditur cum auxiliis *ordinariis* gratiae; *mystica* vero de donis et actibus *extraordinariis* quae contemplationem infusam constituunt vel

comitantur (MEYNARD OP., *Vie intérieure*, 1899, I, p. VIII; POULAIN SI, *Grâces d'Oraison*, c. 1, n. 15; NAVAL, n. 3; P. ADOLPHUS, I, n. 7-8, etc.).

— Alii *mysticae* tribuunt quidquid pertinet ad viam unitivam; *asceticae* vero quae spectant purgativam et illuminativam (ita ZAHN, *Mystik*, n. 27-28).

— P. GARRIGOU LAGRANGE OP. (*Perfection et Contemplation*, I, p. 27) distinctionem repetit ex praedominanti exercitio virtutum humano modo agentium in vita *ascetica*, donorum autem supra humanum modum operantium in vita *mystica*. Fere eadem ratione SAUDREAU (*Degrés de la vie spir.*, II, n. 11); ARINTERO OP. (*Cuestiones misticas*, VI, a. 3) etc.

— Immo sunt aliqui practice in alterutra parte integram de vita spirituali materiam tractantes: sic olim SCHORRER in sua *Theologia ascetica*, et recentius P. AURELIANUS A SS. SACRAMENTO in suo *Cursu ascetico;* sic etiam IOSEPHUS A SPIRITU SANCTO vel LA REGUERA in eorum tractatibus de *Theologia mystica*, et recentius P. LOUISMET OSB.

11. Conveniunt tamen omnes illae partitiones in hoc quod ascetica et mystica, saltem late sumptae, connotant respectus duos in studio perfectionis, activitatis nempe et passivitatis: *ascetica* enim eam respicit ut active procurandam propriis conatibus et exercitiis, reformando vitam eamque conformando praeceptis, consiliis et exemplis Christi et Sanctorum; *mystica* eamdem perfectionem respicit ut est Dei donum, ut producitur in nobis actione gratiae divinae, illa praesertim operatione sub qua magis passive se habet anima, ut tandem consummetur unione cum Deo per Christum et in Christo (cf. FEULING, OSB., in BENEDIKTINISCHE MONATSCH., 1922, p. 260).

Cum vero in tractatione theologica difficile statui possit, inter utriusque partis ambitum, ea divisio praecisa quae communiter admittatur, iam inducitur consuetudo proponendi in uno tractatu quaestiones omnes quae ad alterutram spectant: ita in compendiis theologiae *asceticae et mysticae* recenter a NAVAL, TANQUEREY, VIVES Y TUTO conscriptis. Immo usurpatum est verbum *theologia spiritualis* (v. g. ab HEDLEY, OSB., *Lex levitarum*, c. 5), illud commodi habens quod utramque partem uno verbo comprehendit nec praecisam

inter eas distinctionem iam determinatam supponit; bene praesertim exprimens quod haec scientia est pars theologiae, quod ascetica et mystica nequeunt separari et tandem quod finem habent communem, scilicet *spiritualem* hominis perfectionem. Qui usus hic sequendus visus est, ita ut omnes tractentur quaestiones praecipuae quae a variis auctoribus sive in ascetica, sive in mystica tractari solent, quin tamen de singulis quaeratur ad utram pertineant.

12. Definiri igitur poterit *theologia spiritualis* scientia quae ex principiis revelatis deducit in quo constituenda sit perfectio vitae spiritualis et quomodo homo viator possit in eam tendere eamque consequi.

Quae dicetur *ascetica* in quantum proponit exercitia quibus homo potest, gratia adiutus, active conatibus suis tendere in hanc perfectionem. — *Mystica* vero dicetur sensu latiori, in quantum docet quibus gratiis et donis, quibusque viis Deus hominem ad se trahat, sibi uniat et sic ad perfectionem ducat; strictiori autem sensu, in quantum agit de gratiis illis eminentibus quae contemplationem proprie infusam constituunt vel cum ea connectuntur.

13. Hae de usu verborum « ascetica et mystica » apud nos, theologos et auctores spirituales catholicos. Apud **acatholicos** vero et profanos scriptores aliter saepe usurpantur: — *ascesis* nempe strictiori sensu, de mortificatione praesertim corporali et de abstinentia; sic ordinarie auctores protestantes, v. g. O. Zöckler, *Aszese und Mönchtum,* 1897; — *mystica* e contra latius vel latissime intelligitur de quacumque cognitione experimentali rerum suprasensibilium vel relatione cum eis, ita ut includat experientias spiritismi vel occultismi et doctrinas theosophicas; — vel etiam extenditur ad doctrinas vel facta quae quadam intuitione admittuntur et tanquam sacra habentur et supra omnem discussionem posita, hinc « mysticismus socialis vel politicus »; — vel mystica dicitur philosophia quae supponit quaedam conscia unitas inter hominem et ea omnia quae sunt extra ipsum (sic v. g. Bernhardt, *Die philosophische Mystik des M. A.,* 1922); — vel tandem mystica habentur phenomena omnia quae plus minusve ad reli-

giosam *extasim* reduci vel assimilari possunt (ita apud multos cultores psychologiae experimentalis, v. g. LEUBA, *Psychologie du mysticisme religieux,* 1925).

14. Quaestionum quae ad theologiam spiritualem spectant, aliae ab aliis proponuntur **divisiones:**

— Alii eas dividunt iuxta tres vias purgativam, illuminativam, et unitivam (sic VALLGORNERA, BOUCHAGE CSSR., Card. VIVES, P. ADOLPHUS O.M.C., P. AURELIANUS A SS. SACRAMENTO CD., etc.). Sed hoc videtur haberi incommodi in hac divisione quod multa sunt in doctrina spirituali quae plus minus ad omnes hos gradus vel vias pertinent.

— Alii quaestiones distinguunt prout referendae sunt potius ad asceticam vel mysticam (sic MEYNARD OP., NAVAL, DEVINE, Pass., etc.): quae divisio supponit iam ab initio stabilitum principium distinctionis inter utramque; et insuper aliqua etiam sunt, ut quaestio de directione spirituali, quae ad utramque partem simul pertinent.

— Alii contemplationem ponentes ut centrum totius tractationis agunt de eius praeparatione, exercitio, consummatione (sic P. ALPHONSUS A M. DOLOROSA CD): quae divisio, optima in tractatu directo ad eos qui vitam agunt stricte contemplativam, nequit ordinate complecti omnem ambitum theologiae spiritualis.

Ideo plures alii tum veteres (ut LE GAUDIER) tum recentiores (ut RIBET, MUTZ, TANQUEREY) prius tractant quaestiones generaliores de natura et causis perfectionis, deinde quae spectant ad media seu instrumenta generalia acquirendae perfectionis, tandem quae pertinent ad eiusdem gradus.

15. Quae divisio, paulo aliter ab aliis proposita, hic praeferenda videtur sicque proponenda ut, post praesentem introductionem, — secunda parte exponantur generaliores quaestiones de perfectionis natura; — tertia de causis quae eius assecutionem adiuvant vel impediunt; — quarta, de variis exercitiis quibus homo ipse modo generali conari potest in hanc perfectionem; — quinta, de variis viis et gradibus per quos Deus solet homines ducere gratia sua ad perfectionem, et consequenter de modo se gerendi, de exercitiis adhibendis, periculis cavendis, virtutibus exercendis, etc., in singulis ho-

rum graduum; — sexta tandem, de variis statibus vitae in quibus homines ad perfectionem tendere eamque assequi possunt. Ita enim videntur magis ordinate explicari semper prius posse quae a sequentibus quaestionibus supponentur, nec nisi semel uno loco unaquaeque quaestio occurrere tractanda.

B) Theologiae spiritualis methodus et fontes.

Baron, *La science de l'ascétisme,* Etudes 1906, t. 108, p. 820-33; — Poulain, c. 30; — Tanquerey, *Précis,* n. 32-33; — Garrigou-Lagrange, *Perfection,* c. 1, a. 1, p. 1-15, cf. 2, p. 48 ss.; — De Guibert, *Les études de théologie ascétique et mystique,* RAM. 1920, p. 5-19, cf. p. 338-351. — Cf. etiam auctores supra laudatos n. 1, praesertim Zahn.

16. Cum disciplina spiritualis sit simul et pars theologiae, et scientia studens factis quibusdam quae partim observabilia fuerunt et etiamnunc sunt, et ars tendendi in perfectionem, methodus ei adhibenda debebit esse et ipsa, simul stricte theologica, positiva atque deductiva, et inductiva, observationi experientiaeque nitens.

Sola enim revelatione certo cognoscimus exsistentiam, naturam, causas huius vitae supernaturalis cuius perfectionem assequi cupimus: ante omnia igitur ex dogmate et ex theologia assumendae sunt veritates revelatae et conclusiones quae fient principia theologiae spiritualis (quae ergo erit scientia *subalternata* theologiae dogmaticae et morali). Ex quibus principiis ipsa deducet conclusiones suas circa proprium obiectum, perfectionem nempe spiritualem. Cum autem etiam ad conclusiones illas extendatur infallibile Ecclesiae magisterium in explicando dogmate revelato, positivum studium documentorum traditionis catholicae directe etiam praebebit multas doctrinae spiritualis assertiones, unde fulciendae et complendae erunt conclusiones a nobis ex theologia dogmatica erutae.

Hoc erit primum et solidum fundamentum, quo nitentes poterimus secure adhibere et recte interpretari facta ex aliena vel propria experientia cognita. Quae experientia nos docebit quomodo revera perfectionem assecutae sint animae illae sanctae vel saltem vere ferventes quae ad illam olim et nunc pervenerunt; quae media practice adhibuerint, per quos gradus

quasve probationes Deus eas aequaverit; inde concludi poterit quae sit reapse efficacia huius methodi aut medii sanctificandi se, quae incommoda vel pericula in eius usu sint cavenda, etc.

17. Neque igitur sola experientia, neque solis conclusionibus a priori deductis, contenti esse poterimus ad solidam condendam spiritualem doctrinam.

Sola experientia, cum quadam vulgari revelationis cognitione et recto iudicio, satis quidem erit ad formandos empiricos quosdam, qui, in directione animarum sicut et in medicina, poterunt utique aliquatenus utiles esse, immo aliquas operari curationes. At, sicut alii cuiusvis generis empirici, et illi carebunt ampla, praecisa solidaque scientia; unde directores ita formati multis semper manebunt obnoxii erroribus, ubi praesertim casus illis occurrent novi, quos violenter reducere conabuntur ad formas sibi familiares; servi erunt omnium praeiudiciorum quae ex educatione, ex lectionibus casu et sine ullo critico iudicio factis, ex ipsa propria indole et circumstantiis propriae vitae spiritualis, hauserunt; conceptibus et doctrinis theologicis contenti erunt confusis, incertis; metaphorae et similitudines verborum erunt illis pro solidis in revelatione fundatis rationibus; unde facile attrahentur novitate et curiositate et decipientur, ut videre est ex tot novis devotionibus aut formis pietatis quas reprobare singulis aetatibus debuit Ecclesia.

18. Nec **sola deductio** a priori satis esse poterit; nam 1) Inter conclusiones quae spectant vitam spiritualem, multae ex principiis deduci nequeunt nisi per longa, complexa, difficilia ratiocinia, iisque nituntur veritatibus revelatis quae nondum simplici formula definitae sunt a magisterio ecclesiastico, ideoque debent ex testimonio traditionis ordinario erui principia illarum conclusionum, non semper facile distinguenda a privatis opinionibus vel scholarum traditionibus: unde fiet ut saepe tales conclusiones ad plenam perfectamque certitudinem pertingere non poterunt, nec valorem excedere assertionum valde probabilium, regularum prudentium, vel persuasionis ex summa convenientia ortae. Has igitur conclusiones quivis non temerarius sedulo conferet cum iis quae docet experientia, unde vel earumdem augebitur valor, vel e contra detegentur

partes minus firmae et securae. 2) Insuper ex experientia eaque sola disci poterit modus applicandi conclusiones theologicas generales individuis casibus, ratione habita omnium circumstantiarum diversarum, temperando, secundum uniuscuiusque exigentias et secundum varios in unoquoque gratiae motus, elementa illa quae valde inaequalem locum in vita spirituali obtinere possunt, ut timor et amor, mortificatio et gaudium etc. 3) Nuda theoria esse nequit theologia spiritualis: sicut ceterae *artes*, ut finem essentialem habet docere quomodo revera exsequi potest aliquis opera illa de quibus tradit principia. Quae ars *executionis* eo magis hic est necessaria quo saepius in rebus vitae spiritualis difficultas est minus in sciendo quid agendum sit, quam in obtinendo ipsam rei bene cognitae executionem. Sola autem experientia discetur practice quomodo reapse adiuvanda sit actio gratiae in animabus.

19. **Fontes** igitur theologiae spiritualis erunt duplicis generis, fontes dogmaticae et theologicae, et fontes experimentales; aut potius in illis fontibus invenientur documenta duplicis generis quae haud raro coniuncta erunt in eodem fonte: tractatus v. g. S. Francisci Salesii de *Introductione in vitam devotam*, est simul documentum traditionis catholicae in quo episcopus et doctor Ecclesiae transmittit nobis veritates revelatas de vita spirituali easque explicat, documentum igitur ordinis theologici; et simul refert nobis conclusiones quas ex longa sua experientia, ut homo spiritualis et director, idem Sanctus hausit, documentum igitur etiam experimentale. Attente ergo distinguenda erunt, in quantum fieri poterit, quae pertinent ad utrumque genus.

Inter fontes vero theologici, distinguendi etiam qui sunt communes omnibus partibus theologiae, qui autem magis proprii theologiae spiritualis.

20. Quoad communia loca theologica, *Sacram Scripturam, documenta Magisterii Ecclesiastici, scripta Patrum et theologorum,* pauca hic erunt addenda principiis generalibus de eorum usu in theologia fundamentali traditis.

Libri inspirati docent: 1) Doctrinam speculativam de Deo et de homine quae fundamentum est totius vitae spiritualis:

in Veteri Testamento (*Psalmi, Prophetae, Sapientiales...*) de Deo Creatore, eiusque potentia, iustitia, misericordia, providentia; in Novo Testamento, de Trinitate, Incarnatione, Redemptione, incorporatione nostra in Christo vitaque supernaturali eiusque termino, visione beata (praesertim apud Paulum et Ioannem); 2) Praecepta et consilia, iam in V. T. (*Proverbia, Ecclesiasticus, Tobias...*), sed praesertim in N. T. ubi proponitur plenitudo praecepti caritatis et aliorum praeceptorum et consiliorum (sermo Christi in monte et parabolae, in Synopticis; sermo post ultimam Coenam; epistolae Pauli, in parte morali; epist. catholicae); 3) Exempla agendi et orandi: in V. T. Patriarchae, Moyses, Prophetae, Tobias, Iudith, Maccabei (reverentia erga Deum, zelus Sanctitatis divinae, fortitudo contra hostes Dei...); sed ante omnia in N. T. exempla Christi, B. V. Mariae, Apostolorum; formam orandi, post Orationem dominicam, fere omnes partes S. Scripturae nobis praebent: Psalmi, Cantica, Orationes prophetarum, doxologiae Pauli et Apocalypsis.

Ratio habenda erit progressus vitae spiritualis a Lege mosaica ad Legem evangelicam: in exemplis enim et in orationibus Veteris Testamenti, nonnulla occurrent, bona utique, sed a perfectione evangelica deficientia et duritiem populi israelitici redolentia, ideoque non sine temperamento transferenda in nostram vitam spiritualem, v. g. quoad rigorem iustitiae erga peccatores et execrationem inimicorum Divini nominis. Quorum locorum nimius videtur fuisse influxus apud aliquos auctores spirituales.

21. **Documenta Ecclesiae** authentica hic adhibenda sunt alia doctrinalia, alia disciplinaria seu practica:

1) Documenta doctrinalia quoad theologiam spiritualem haud multa *positiva* habentur, plura vero *negativa*, sc. damnationes errorum de vita spirituali: quorum praecipua infra recensentur in introductione historica, n. 52 s.; 86 s.; 124 s.; 154 s.; 2) Documenta practica habentur: *a*) In legibus ecclesiasticis varios status spectantibus eorum qui perfectionem vel postulant vel assequi conantur, ut status ecclesiasticus et religiosus: sic v. g. in *Codice Iuris Canonici,* canones de oratione mentali (c. 125, 595), vel de exercitiis spiritualibus (c. 126,

595, 1367), vel de manifestatione conscientiae (c. 530), vel de vita communi clericorum et religiosorum (c. 134, 594) etc.; aut exhortationes ad eosdem, ut Pii X ad Clerum catholicum, *Haerent animo,* 4 augusti 1908, ASS. 1908, p. 555-77. Inde elucet mens Ecclesiae de mediis aptis ad perfectionem obtinendam, de periculis in eius studio cavendis...; *b*) In approbatione ordinum religiosorum, authentice declarat Ecclesia talem vitae formam, prout exhibetur in approbata regula, esse medium aptum ad sectandam perfectionem (cum hic primus et essentialis finis sit cuiusvis ordinis religiosi), non autem esse medium unicum, aut aptissimum, aut aptius aliquo alio; 3) In canonizatione Sanctorum, unum quidem tantum sancit Ecclesia plenitude auctoritatis suae, hunc scilicet Dei servum gaudere beatitudine caelesti ideoque mereri fidelium cultum. At simul, magisterio suo ordinario, eumdem nobis proponit ut exemplar vitae christianae perfectae; quod patet ex modo quo conficiuntur causae beatificationis, et ex ipso loquendi modo Bullarum canonizationis et decretorum beatificationis. Hoc modo tamen sancit complexum vitae Servi Dei vel etiam aliquod peculiare exemplum actis explicite propositum, non autem valorem singulorum actuum, multoque minus eorum imitabilitatem aut aptitudinem ut habeantur tanquam generalis norma vitae spiritualis; martyres vero qua tales proponuntur unice ut exemplaria fortitudinis in moriendo pro Christi fide. Intra quos limites uberem traditionalis doctrinae fontem inveniet theologia spiritualis in authenticis canonizationum et beatificationum documentis.

22. Quoad **scripta Patrum et Theologorum**, praeter regulas generales de eorum usu, hoc tantum occurrit in praesenti materia notandum: sedulo distinguenda sunt scripta ubi generalis proponitur doctrina aut fit exhortatio, et quae diriguntur ad singulares personas aut coetus ut provideatur peculiaribus eorum necessitatibus; quo in casu altero, dicta valebunt non ut expressio ipsius doctrinae spiritualis, sed ut applicatio concreta huius doctrinae in tradendis regulis agendi individualibus. Quod praecipue verum est de epistulis spiritualibus.

23. Fontes magis proprii theologiae spiritualis haberi possunt: — **Scripta Sanctorum et virorum spiritualium** afferunt nobis simul et auxilium ad discernendum quid docuerit et crediderit Ecclesia (documentum theologicum), et fructus experientiae ab eis acquisitae de rebus vitae interioris.

Praeter valorem quem habent ex auctorum fideli submissione erga Ecclesiam et sensu catholico, saepe peculiares eis accedit auctoritas, tum ex eo quod auctores pertinent ad docentem Ecclesiam, tum ex aliqua peculiari approbatione scriptis eorum concessa a Summis Pontificibus (v. g. pro scriptis S. Teresiae, S. Francisci Salesii, pro *Exercitiis spiritualibus* S. Ignatii...), tum ex eo quod, longo usu, favorem universalem adepti sunt apud populum christianum, in eis agnoscentem genuinam Ecclesiae doctrinam spiritualem (sic de scriptis S. Bernardi, de libro *de Imitatione Christi*...).

24. Solemnis auctoris canonizatio supponit hodie examen authenticum scriptorum Servi Dei; unde sequitur in eis nihil erronei haberi quod praeiudicet sanctitati auctoris aut impediat quominus fidelibus ut exemplar proponatur. Hoc autem iudicio non excluduntur errores, etiam in rebus spiritualibus, quae non oriantur ex imprudentia aut levitate aut culpabili pertinacia. Singulariter autem revelationes quas acceperint servi Dei, Ecclesia non confirmat fuisse veras et fideliter relatas: ex canonizatione sequitur tantum non imprudenter se gessisse hac in re servos Dei. P. Poulain (*Grâces d'oraison*, 10ª ed., c. 21, n. 4 ss.) elenchum conficere potuit, post Benedictum XIV (*De Serv. Dei beatificatione*..., III, c. 53, n. 15 ss., cf. II, c. 32, n. 8 ss.), errorum qui inveniuntur in scriptis et revelationibus Sanctorum canonizatorum.

Attamen ex ipsa sanctitate per canonizationem attestata specialis, etsi non theologica, confertur his scriptis auctoritas, tum quia, quando agunt de perfectione, sancti loquuntur de re sibi penitus propria experientia cognita, tum quia inde sequitur scripta illa exarata fuisse ab anima plena Spiritu Sancto et motionibus eius in primis docibilis.

25. Vitae Sanctorum, sive stricto sensu, canonizatorum, sive lato sensu, gaudentium fama sanctitatis, et ipsae sunt simul documentum traditionis catholicae, in quantum expri-

munt nobis factis, quae fuerit fides illorum circa res vitae spiritualis, et documentum experimentale, in quantum narrant nobis quomodo illi reapse perfectionem assecuti sint. Valor igitur doctrinalis harum vitarum aestimanda erit: *primo* secundum fidelitatem historicam in narrando facta et referendo doctrinam aut dicta; *secundo* etiam secundum rectitudinem idearum ipsius narratoris circa vitam spiritualem; nam, cum paucissimae sint vitae Sanctorum exaratae ad modum purae historiae et secundum exactissimas critices leges, sequitur has narratoris ideas semper fere influere plus minus in eius modum eligendi et proponendi facta narrationis; unde in eodem documento exhibetur simul et mens Sancti, et mens narratoris, ita ut aliquando momentum doctrinale vitae oriatur praesertim ex ipsa narratoris persona. Hinc specialis valor tribuendus vitis Sanctorum quae a Sanctis scriptae sunt, ut Vita Antonii ab Athanasio, S. Francisci a S. Bonaventura, S. Pauli a Cruce a Beato Vincentio Strambi. E contra, non obstante eximia auctoris peritia in critica historica, nonnisi caute adhibenda erit quoad res doctrinae *Vita S. Francisci* a Paulo SABATIER, auctore protestantico, conscripta.

26. Varia illa documenta spiritualia generatim referenda erunt ad aliquas plus minus diversas **scholas spirituales**, de quibus haec notanda occurrunt:

1) Exsistere revera tales scholas, etiam intra ambitum purissimae traditionis catholicae, statim patet legenti et conferenti scripta spiritualia aliquorum coaevorum, ut sunt v. g. Ven. Liberman, Gay, Faber, Guéranger, Lacordaire, Olivaint. Simul cum differentiis inter eos intercedentibus, apparet singulorum cognatio cum aliis eiusdem vel alius temporis scriptoribus aut viris spiritualibus. Iam exterius uniuntur membra eiusdem scholae: communi vita in eadem religiosa familia, doctrina accepta ab eodem Spiritus magistro, occurrentia in eadem regione, tempore, peculiaribus quibusdam circumstantiis, etc.; unde nascitur communitas in hac vel illa adhibenda methodo, in praeferenda hac forma vitae interioris aut apostolicae, in tribuendo ampliori loco huic mysterio fidei, huic motivo aut devotioni, in eligendo hoc principio ut centrum vitae spiritualis. Utique omnia essentialia elementa huius vitae

spiritualis in unaquaque schola vere catholica inveniuntur, ex ipso Evangelio desumpta: at proportio inter haec elementa, modus ea uniendi et temperandi, ita ut inde oriatur unum doctrinae et vitae corpus, non eadem sunt apud omnes scholas.

27. Quae diversitas sedulo attendenda et recte intelligenda est; ne eam esse veram oppositionem existimemus, aut putemus hanc scholam quae hoc elementum minus evolvit quam illa, eo ipso hoc reicere vel minoris facere; — ne legitimus amor et ipsa praedilectio qua iure unam scholam elegimus aut ei vincimur, fiat in exclusivismum quemdam, angustum, rigidum, ceteras scholas practice ut minus catholicas, vel solidas, aut fecundas, habentem; — ne e contra in periculosum labentes eclectismum, velimus varia ex variis scholis elementa arbitrario desumere et violento modo in unum redigere: unaquaeque enim schola constituit unum complexum, completum et harmonicum, cuius partes ab illo complexu separatae multum ex suo valore amittunt, immo aliquando optimae in complexu, nocivae fieri poterunt si immutatae in aliam transferuntur scholam.

28. 2) Aliter igitur nos habere erga varias scholas debemus in **procuranda propria perfectione**, et aliter in exercendo munere directoris spiritualis. In propria enim sanctificanda anima, magnum erit emolumentum unam praecipue sequi determinatam scholam spiritualem; cuius saepe electio iam ex ipsa vocatione et statu vitae evadit determinata, si quis v. g. pertinet ad aliquam religiosam familiam, vel ex accepta formatione spirituali, aut ex aliqua gratiae inclinatione, sive animae nostrae necessitate peculiari, cui melius in hac schola satisfit. Accidere etiam poterit quandoque ut quaedam anima in una schola spirituali formata, postea, decursu vitae, ad aliam accedat quae ad ipsius sanctificationem aptior esse cognoscetur: quae mutatio prudenter fieri poterit ubi nullius peculiaris vocationis vinculo alicui scholae quis ligatus (exemplum praebet vita Mauritii d'Hulst nitidum). Semper vero damnosum erit alicui animae si, ex curiositate vel inconstantia animi, varias vitae spiritualis formas perpetuo miscet et mutat, quin ulli stabili modo adhaereat. Quod utique non ita intelligendum est stricte ut v. g. nonnisi unius scholae auctores

legamus, ceteris prorsus exclusis: quis enim non multum capiet fructum ex scriptis S. Bernardi, S. Teresiae aut S. Vincentii a Paulo? Sed unusquisque uni scholae adhaerebit, quae fundamentum erit vitae eius spiritualis, ex ceterorum vero auctoribus desumet quae in hac schola suscipi et assimilari possunt.

29. In dirigendis autem animis, characterem specialem scholae nostrae propriae non poterimus non aliquatenus retinere, et inde habebit directio nostra spiritualis peculiarem suam indolem. Attamen animas dirigere debemus secundum propriam singularum vocationem, gratiam, immo secundum formationem iam acceptam: ubi enim nobis occurrit aliqua anima in alia schola formata et secundum hanc formationem bene se habentem, cur velimus ei imponere mutationem in modo tendendi ad perfectionem, ex qua forte nobis similior fiet, sed quae etiam non absque detrimento erit? A fortiori ubi electio huius scholae ipsi fuit imposita peculiari eius vocatione, aut manifesta gratiae inspiratione. Necessarium igitur erit ut director sufficientem habeat cognitionem praecipuarum scholarum spiritualium, unde valeat singulas animas secundum uniuscuiusque viam dirigere. Hinc necessitas pro ipso non restringendi studium suum theologiae spiritualis ad pauca aliqua scripta, ubi saltem suscepturus est dirigendas animas multas et diversae conditionis.

30. Ex **experientia** haurit theologia spiritualis cognitiones varii generis inaequalisque valoris et momenti.

1) *Ex generali psychologica observatione et experimentatione,* quarum conclusiones exhibentur in tractatibus psychologiae experimentalis, modo magis praeciso cognoscetur quibus legibus regatur productio actuum intellectus et voluntatis qui vitam spiritualem essentialiter constituunt; quae subsidia aut impedimenta habitura sit haec vita in imaginatione et sensibilitate, immo in variis formis activitatis organicae. Unde melius perspicietur vera natura quorumdam phenomenorum vitae interioris, origo vera quarumdam difficultatum in ea occurrentium; hinc etiam desumi poterunt varii modi agendi in facultates animae, varii methodi educationis vel medicationis psychologicae.

Multa quidem ex his quae ab hodiernis psychologis ut nova aliquando proferuntur, non nova illis erunt qui diu in legendis scriptis nostris spiritualibus versati sunt: Cassianus v. g. aut S. Franciscus Salesius, forma simplici, nobis proponunt observationes psychologicas eximias. In hac tamen materia, sicut in aliis, observatio ordinata et methodica, ipsa in pluribus experimentatione adiuta, facta et leges eorum attingere poterit cum quodam rigore et praecisione quae semper deerit in observatione spontanea et casuali, etiam acutissima. Ideoque theologia spiritualis multa poterit ex studiis psychologiae experimentalis utilissime in proprios convertere usus.

31. 2) *Psychologia* vero *religiosa,* si latiori ambitu sumatur, prout studet phenomenis religiosis generalioribus, in quantum communia sunt variis religionibus (oratio vocalis et mentalis, ascesis, associationes vitae perfectae...), utilis quidem valde erit in studio apologeticae aliarumque disciplinarum; haud tamen ita multa videtur praebere quae possint directe adhiberi in theologia spirituali, prout saltem hic respicitur, nempe ut theologia practica perfectionis assequendae. Modo enim magis extrinseco considerari debent phenomena religiosa ad deducendas conclusiones applicabiles variis religionibus inter se tam profunde diversis, quam multa ad praxim conferre vaeant observationes illae generales. Ex his tamen melius intelligi poterunt aliqua testimonia traditionis nostrae catholicae, melius cognosci facta quaedam complexa contemplationis, etc.

32. 3) *Studium* contra *psychologicum factorum religiosorum in religione christiana, in Ecclesia praesertim catholica,* praecipuus fons erit unde theologia spiritualis hauriet partem experimentalem doctrinae suae. Extra veram Ecclesiam et multo magis extra fidem christianam, coniecturas tantum facere possumus de valore supernaturali actuum religiosorum quibus studemus: hic vero firmius habemus fundamentum ad stabiliendas conclusiones. Dubium utique semper manebit aliquid quoad singulos casus individuos, sed certo concludere licebit quoad collectiones casuum, vel etiam aliquos casus particulares (in Sanctis canonizatis), ubi adest authentica Ecclesiae testificatio. Hic igitur possumus casus observare in quibus certo ad veram perfectionem spiritualem pervenerunt

animae, ideoque verificare valorem et efficacitatem practicam eorum quae docemus. Datur revera, distincta a traditione dogmatica, etsi non semper facile ab ea secernenda in doctrina magistrorum spiritualium, vera *traditio experimentalis* per plures ab initio Ecclesiae generationes collecta et transmissa; cuius documenta, etiamsi non sint authentica et charismate auctoritatis ab errore servata, unus tamen sunt e praecipuis theologiae spiritualis fontibus. Quae documenta plerumque non scientifica, sed practica forma observationes referunt; at, patienti et methodico studio, ex eis erui poterunt facta clara et exacta, integrumque et ordinatum corpus doctrinae.

33. 4) Quibus cognitionibus experimentalibus per testimonia varii generis ad nos transmissis, addendae sunt eae quas immediate *ex propria nostra vitae interioris experientia* ipsi personaliter hausimus. Quae personalis vitae spiritualis experientia, a nullo alio studio aut experientia suppleri poterit ex toto. Hac tantum supposita plene intelligere poterimus testimonia quae aliorum experientias nobis referunt: quod clare patet ex crassis incredulorum erroribus, etiam in studiis psychologicis eminentium, ubi mysticorum vel asceticorum testimonia interpretantur. Dum ille qui ipse vitam interiorem catholicam propria novit experientia, facilius et securius intelliget scripta sanctorum, ea etiam quae status describunt diversos a statu ipsius: linguam enim eorum callemus et regionem saltem novimus cuius aliqua itinera nobis describunt nondum a nobis perlustrata. Solam autem non sufficere hanc personalem experientiam, iam supra ostendimus, n. 17.

34. Cui personali vitae spiritualis experientiae accedet ea quam hauriet director in exercendo munere suo; etsi minus est immediata, cum multa circa statum animarum quae dirigimus ex earum tantum testimonio noscemus.

Quantumvis autem pretiosae sint cognitiones illae ex experientia haustae, finis non sunt sed medium in bonum animarum procurandum, mediumque secundarium: cavendum igitur semper erit ne eas augere studeamus cum aliquo animarum detrimento. Quod evenire poterit ex quaestionibus de earum statu aut de gratiis acceptis indiscrete factis, inuti-

libus ad earum directionem et potius ex curiositate cognoscendi casum aliquem rarum ortis; magis etiam ex relationibus sine vera necessitate scripto petitis; magis etiam si eas animas ut subiectum quoddam experimentationis haberemus. In quo etiam non deesset quaedam irreverentia erga Dei gratiam quae in eis operatur, ut fusius infra declarabitur quando agetur de contemplatione infusa.

C) Animadversiones breves de statu praesenti studiorum theologiae spiritualis et de modo iisdem vacandi.

35. Tria praecipue notanda occurrunt in statu praesenti studiorum circa theologiam spiritualem:

1) Favor quo gaudent haec studia, non tantum apud catholicos, sed etiam apud heterodoxos et incredulos; unde tot libri, commentationes, editiones cuiusvis generis, periodica, etc. de his materiis, praesertim mysticis. Cuius fervoris causae, aliae apud nonnullos haud rectae et probandae (curiositas rerum extraordinariarum, appetitus sensationum novarum et magis exquisitarum, quidam sic dictus « snobismus »...), aliae vero apud multos omnino laudandae (reactio contra materialismum, scientismum; desiderium vitae magis interioris, renovationis post calamitates belli et annorum sequentium... intima persuasio de necessitate et valore huius interioris vitae).

2) Controversiae acres quae etiam inter doctores catholicos de pluribus quaestionibus fervent, et eo magis durant quo maior habetur confusio in modo ponendi has quaestiones, adhibendi voces vel maxime usitatas, interpretandi testimonia, etc.; quae confusio multo minus certe habetur in studiis theologiae dogmaticae vel moralis, ubi magis fixum vocabularium, communiter receptus ordo et modus quaestiones tractandi.

3) Deficiens relative numerus adiumentorum et instrumentorum ad vacandum his studiis: plurima sane scripta de hac materia, sed potius ad aedificationem aut ad persuasionem directa, quam ad ipsum studium apta; praesertim si respiciantur quaestiones non historice, sed speculative, habentur quidem, et optima, scripta, sed pauciora adhuc nec satis ampla et completa (v. g. quoad accuratam crisim theologicam traditionis).

36. Hinc, propter has conditiones et propter ipsam indolem theologiae spiritualis, aliqua peculiari modo **cavenda** in his studiis ut difficultatibus gravioribus occurratur:

1) Cum haec disciplina scientia theologica simul et ars sit, accurate distinguendum inter ea quae ad alterutram partem pertinent (conclusiones, argumenta, testimonia traditionis...); ratio habenda simul et eorum quae communia sunt cuivis animae sancte viventi, et varietatis in indole, in circumstantiis, in motibus et viis gratiae divinae, in vocationibus...; nec obliviscendum quantum sit momentum in aliqua arte aestimationis circa gradum, mensuram, locum maiorem minoremve dandum alicui exercitio, affectui, cogitationi (multi errores in hac theologia spirituali erunt praecise circa excessum vel defectum, magis quam circa negationem aut affirmationem).

37. 2) Ex intimo nexu inter haec studia et id quod unicuique nostrum magis intimum et pretiosum est, vitam scilicet spiritualem, commoda utique plura consequuntur (iucunditas huius studii, facilitas ut quis se totum huic det, ut in multis iuvetur hac cognitione ex connaturalitate obiecti cogniti, de qua toties S. Thomas, ut ideo facilius et intimius intelligantur multa...), sed etiam pericula aliqua sedulo praecavenda: ne misceantur affectus et effusiones cordis cum principiis theologicis, ne habeantur ut valida argumenta metaphorae, comparationes vel imaginationes piae quae nos movent; ne fiant in theses generales quae vera et bona sunt pro singulari aliquo tantum casu; ne velimus aliis imponere ut exclusive recta et secura via, eam qua ducimur; ne difficilius intelligamus status interiores, necessitates, formas vivendi diversas a nostris...

38. 3) Praevalere solet apud varios magistros vitae spiritualis aspectus huius vitae speculativus, aut affectivus, aut practicus: prout magis incumbunt aut in proponendis fundamentis dogmaticis et principiis generalibus, aut in fovendo amore erga Deum ceterisque affectibus, aut in deducendis conclusionibus practicis earumque executione procuranda. Quae varietates bonae sunt, dum tamen haec praevalentia non fiat in exclusivismum; spiritualitas enim pure, aut quasi pure, speculativa foveret illusionem credendi hominem semper agere

logice iuxta ea quae videt et credit, unde periculum uniendi altissimos conceptus spirituales cum magnis defectibus; si sit nimis exclusive affectuosa, deerit soliditas et stabilitas, loco operum habebuntur steriles affectus; si praxis nimis unice respiciatur, fiet purus empirismus, tota vita spiritualis absorbebitur in rebus minutis, deerit magnanimitas, impetus et vigor. Idemque cavendum quoad temperamentum servandum in vita spirituali inter activitatem humanam et passivitatem erga gratiam: iure alii magis illustrabunt partes activitatis huius, alii e contra hanc passivitatem; at si priori nimis tribuatur iam tumultus erit in anima, nec audiri poterit Deus ab ea, deerit verus progressus, vera unio cum Deo...; si autem nimia passivitas, periculum pigritiae, illusionis... Unusquisque igitur, retinendo propriam inclinationem legitimam in hanc aut illam formam vitae spiritualis, cavere tamen debet ne eam sinat ultra limites exaggerari.

39. 4) Doctrina spiritualis niti debet ante omnia traditione catholica: hanc autem traditionem colligere debemus plenam et integram. Completa igitur esse debet doctrina nostra quatenus omnia colligat elementa quae adsunt in hac traditione, non relinquendo v. g. quae profert de compunctione, ut unice de gaudio agamus, vel vice versa. Integram accipere debemus hanc traditionem, nullius saeculi, propter praetensam obscurationem eius, arbitrarie recusato testimonio: inaequalis sane fuit variis saeculis splendor vitae spiritualis in Ecclesia et ideo inaequale momentum horum singulorum saeculorum quoad studium spiritualis doctrinae; at ubi clare adest testimonium traditionis catholicae proprie dictae, aequalis auctoritas cuiusvis saeculi, cum semper eodem nitatur motivo, auxilio nempe Spiritus Sancti infallibiliter Ecclesiae assistentis. Quapropter in interroganda hac traditione imprimis attendere debemus eius unitatem, continuitatem et universalitatem, supra temporum aut scholarum varietates, quarum ratio quidem habenda, sed secundo tantum loco: si enim nimis attendantur, oppositiones doctrinae putabuntur esse ubi erit revera diversitas tantum in modo loquendi aut concipiendi, vel essentialis unitas existimabitur adesse non posse nisi rigide sublatis illis varietatibus quae tantum faciunt ad pulchritudinem corporis Ecclesiae.

CAPUT II.

Introductio historica.

40. Generalem historiam doctrinarum spiritualium in Ecclesia Catholica, primus scripsit P. POURRAT, *La Spiritualité Chrétienne:* I. Des origines au Moyen Age, 1918; II. Le Moyen Age, 1921; III. Les temps modernes, 1, 1925. Idem iam antea partim praestiterat O. ZOECKLER (*Askese und Mönchtum,* 2ª ed., 1897; *Tugendlehre des Christentums geschichtlich dargestellt,* 1905, protestans). Cum tamen pauciora adhuc extent de multis huius historiae periodis scripta ut eam quis possit brevi redigere compendio quin incerta cum certis plus aequo misceat, satis erit in hac introductione proponere elenchum praecipuorum inter catholicos scriptorum et scholarum spiritualium, necnon errorum ab Ecclesia in hac materia damnatorum et documentorum contra eos editorum. Sic enim praesto erunt fontes et instrumenta ad studium doctrinae spiritualis, et simul materia ad lectionem spiritualem instituendam vel aliis proponendam.

Ad complenda quae hic habentur consulantur: HURTER, *Nomenclator Literarius Theologiae Catholicae,* ed. 3ª, 1903-1912; varii Patrologiae tractatus (BARDENHEWER, RAUSCHEN-WITTIG, TIXERONT etc.), et historiae litterariae a STAEHLIN (graeca, 1924), SCHANZ (latina, III-IV, 1914-22), KRUMBACHER (byzantina, 1897), MANITIUS (latina medii aevi, I-II, 1911-23), in *Handbuch des klass. Altertumswissenschaft,* ab I. VON MUELLER edito (München, Beck), ubi indicantur variae operum editiones (hic ordinarie, ut facilius inveniri possint ab omnibus, remittitur ad collectiones patrologicas MIGNE, PG., PL.).

Quoad vitam et doctrinam scriptorum, quoad scholas singulas et errores, commodius plura invenientur in articulis qui de singulis habentur in variis recentioribus encyclopaediis ut: *Kirchenlexicon* et BUCHBERGER'S *Kirchliches Handlexicon* (Freiburg-Breisgau), *Dictionnaire de Théologie Catholique, Dic-*

tionnaire d'Histoire... Ecclés. (Paris, Letouzey); *Catholic Encyclopaedia* (New York); *Enciclopedía Española Espasa* (Barcelona). Apud protestantes praesertim: *Realencyclopädie f. protest. Theologie; Dictionary of Religion and Ethics* (HASTINGS).

Notandum. In commodum incipientium apponitur asteriscus * nominibus auctorum qui vel ob auctoritatem, vel ob influxum, praecipue videntur attendendi; duo vero ** eorum qui iisdem titulis prorsus eminere videntur. In documentis ecclesiasticis indicandis remittitur ad *Bullarium Romanum* (ed. Taurin.); MANSI, *Amplissima Conciliorum Collectio;* Acta Sanctae Sedis (ASS.); Acta Apostolicae Sedis (AAS., 1909 ss.); DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion,* ed. 10ª (1908) et ss. (DB.); CAVALLERA, *Thesaurus Doctrinae Catholicae,* 1920 (CAV.).

A) **Prima aetas christiana** (saec. I-III).

41. 1) **Principia generalia** de vita christiano modo agenda explicant, et simul ea quae ad perfectionem huius vitae spectant (ut iam faciebat Paulus in Epistolis suis): * CLEMENS ROMANUS, *Epist. ad Corinthios* (saec. I exeunte, ed. FUNK-BIHLMEYER, *Patres Apostolici*); *Didache XII Apostolorum* (doctrina de duabus viis) et *Epistola Barnabae* (saec. I ex. vel II in., ed. ibid); praesertim * *Pastor* HERMAE (saec. II med., ed. ibid.; vita pro Deo, virtutes, discretio spirituum... cf. CAVALLERA, R. A. M., 1920, p. 351-60). Item aliqui etiam tractatus CYPRIANI († 258, PL. 4 et ed. Hartel in CORP. VINDOBON.: *de bono patientiae, de opere et eleemosyna*).

De *oratione* (sc. de Oratione Dominica) scribunt TERTULLIANUS (christianus ante 197, montanista circ. 213, PL. 1 et CORP. VINDOB.), CYPRIANUS et ORIGENES (PG. 11; † c. 251-54).

2) Propter pugnam tunc maxime necessariam contra paganam morum corruptionem (et etiam contra iudaicum conceptum felicitatis in hac vita bonis obtinendae), perfectio christianae vitae ab *ascetis* quaeritur ante omnia in sequendis consiliis de perfecta continentia a Christo, et post eum a Paulo, propositis; hinc multa hac aetate scripta de laude **virginitatis** et monita ad virgines de modo servandi thesaurum suum et vitandi pericula ipsis magis imminentia in hac arctiori via:

TERTULLIANUS, *de Velandis virginibus; de Exhortatione castitatis* (scripta ab auctore iam montanista); CYPRIANUS, *de Habitu virginum;* METHODIUS Olympius († martyr c. 311, PG. 18), *Symposion, sive de virginitate* (decem orationes totidem virginum); Ps. CLEMENS, *Epistulae ad virgines* (saec. III, PG. 1).

42. 3) **Acta Martyrum** exempla proponunt patientiae et fortitudinis, valoremque extollunt sacrificii pro Christo et cum Christo oblati: * IGNATII Antiocheni *Epistulae,* praesertim *ad Romanos* (ed. FUNK, *Patres Apostolici;* saec. II in., tempore Traiani); *Martyria Polycarpi, MM. Lugdunensium, Felicitatis et Perpetuae, Cypriani* (cum eius *Vita* a PONTIO scripta) et aliae passiones (collectae a KNOPF vel VON GEBHARDT). Quibus adiungendae plures * CYPRIANI, *Epistulae* tempore persecutionis scriptae (ep. 20, 28, 30-32, 37, 60, 61, 76-81), eiusdem *Ad Fortunatum de exhortatione martyrii;* TERTULLIANUS, *Ad martyres;* ORIGENES, *Exhortatio ad martyrium,* PG. 11 (circ. 185-c. 254). — Cf. VILLER, *Martyre et perfection,* R. A. M. 1925, 3-25.

4) **Alexandrini** doctrinam proponunt de distinctione inter vitam christianam communem et vitam *gnostici,* seu perfectam vitam christianam in qua potiores dant partes ipsi cognitioni Dei, nec omnem in hoc vitant exaggerationem, cf. LEBRETON in RECHERCHES DE SC. RELIG., 1922, 265: ita CLEMENS Alexandrinus (circa 159-215; *Stromata,* PG. 9) et * ORIGENES passim, praesertim in *Homiliis* (PG. XII-XIV, et partim CORP. BEROLIN).

43. 5) **Errores** iam habentur: *a*) apud GNOSTICOS de recto conceptu perfectionis christianae (pneumatici, psychici, hylici); *b*) apud MONTANISTAS, illuminismus et pseudo-mysticismus; *c*) apud plures sectas ENCRATISMUS, exaggeratus et falsis nitens dogmatibus de materia intrinsece mala etc.; item *rigorismus,* v. g. apud Novatianos; *d*) tandem iam oritur MANICHAEISMUS (Mani † circa 276) de quo iterum postea.

Cf. STRATHMANN, *Geschichte der frühchristlichen Askese,* I: Die Askese in der Umgebung des werdenden Christentums, 1914 (protest.; de ascesi iudaica et pagana); MARTINEZ, *L'Ascétisme chrétien pendant les trois premiers siècles,* 1913; SCHIWIETZ, *Das Ascetentum der drei ersten Jahrhunderten,* Mainz, 1904.

B) **Aetas Patrum** (saec. IV-VII).

44. 1) **Principia** vitae perfectae proponunt etiam in praedicatione communi ad populum christianum:

CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS († 386), *Catecheses,* PG. 33; * IOANNES CHRYSOSTOMUS (c. 344-407), passim in *Homiliis,* PG. 48-64; ** AUGUSTINUS (354-430), *Sermones, Enarrationes in Psalmos, Tractatus in Ioannem* (c. 416), PL. 35-39; ** GREGORIUS MAGNUS (c. 540-604), *Moralia in Iob* (vario tempore ante et post electionem suam, 590), *Homiliae XL in Evangelia* (590-91), *XXII in Ezechielem* (593), PL. 77.

2) Scribunt **de virginitate:**

* AMBROSIUS (c. 340-397), *de virginibus, de institutione virginis, de virginitate, de viduis,* PL. 16; CHRYSOSTOMUS, *de virginitate,* PG. 48; GREGORIUS NYSSENUS († c. 394), *de virginitate,* PG. 35; PS. ATHANASIUS, *de virginitate sive de ascesi,* PG. 28; PS. BASILIUS (Basilius Ancyranus, † post 360), *de vera virginitate,* PG. 30.

Virginitatem defendunt contra errores AMBROSIUS, *loc. cit.*, et HIERONYMUS (c. 347-419), *Adversus Iovinianum* et etiam *Contra Vigilantium* et *Adversus Helvidium,* PL. 23.

3) Speciales iam tractatus edunt de **vita sacerdotali:**

AMBROSIUS, * *de Officiis ministrorum,* PL. 16; CHRYSOSTOMUS, * *de Sacerdotio,* PG. 47; GREGORIUS MAGNUS, ** *Liber regulae pastoralis,* PL. 77.

4) Constituuntur collectiones **epistularum** ex quibus plures sunt de vita spirituali:

ATHANASIUS (c. 295-373), epistulae *ad Dracontium, Orsiesium, Amunem, ad monachos,* PG. 26; BASILIUS (c. 330-379), PG. 32; ** HIERONYMUS (PL. 22), praesertim epist. 14, 22, 52, 54, 58, 79, 107, 117, 118, 120, 122, 123, 125, 128, 130, 145, 147, cf. CAVALLERA in R. A. M. 1921, 101-127; AUGUSTINUS, PL. 33, v. g. 130 *ad Probam de oratione,* 127, 189, 220, 243, *de contemptu mundi,* 145, 155, *de caritate,* etc.; ISIDORUS Pelusiota († c. 440), PG. 78, cf. 79, 119 ss. argumenta epistularum; NILUS abbas († c. 430), PG. 79; GREGORIUS MAGNUS, PL. 75 et ed. EWALD in MON. GERM.

45. 5) Sed praesertim, evoluto et late diffuso **monachismo**, prima tunc apparet *schola spiritualis* constituiturque corpus doctrinae et traditio spiritualis: in Aegypto, in Palaestina, in Asia; dein in Africa, Gallia, Italia, Hibernia; quae schola studiosa est imprimis obtinendae puritatis animae per mortificationem, silentium, custodiam cordis, humilem oboedientiam, orationem vocalem et mentalem, cuius integra proponitur doctrina; cum vero duplici forma, anachoretica et coenobitica, instituatur tunc vita monastica, inde etiam plures iam tendentiae in doctrina.

a) Primum huius traditionis documentum videtur esse * *Vita Antonii* ab ATHANASIO conscripta circa 357 ad diffundendum studium vitae monasticae, PG. 26.

Quod vitae genus laudant et commendant: CHRYSOSTOMUS, *Comparatio regis et monachi,* PG. 47; praesertim HIERONYMUS in *Epistulis,* PL. 22; postea EUCHERIUS Lugdunensis († c. 450), *de Laude eremi,* PL. 50.

Idem defendunt: CHRYSOSTOMUS, *Contra oppugnatores vitae monasticae,* PG. 47; HIERONYMUS, *Contra Vigilantium,* PL. 23.

46. *b*) Formam vitae perfectae in **Regulis** suis tradunt: * PACHOMIUS († c. 346), institutor et ordinator vitae coenobiticae cuius *Regula* extat in pluribus formis: latine ex Hieronymo, PL. 23, 65; graece, PG. 40, 948 (ed. critica in MUSEON, 1925, 1-28, a LEFORT qui parat ed. textus originalis coptici; etiam ed. ALBERS, 1923); ** BASILIUS, *Regulae fusius* et *brevius tractatae,* PG. 31, quae factae sunt regula fundamentalis monachismi orientalis.

In Occidente, AUGUSTINUS scribit ad quamdam monacham * *Epist.* 211, PL. 33, 958, late diffusa in Medio Aevo, praesertim apud Canonicos regulares, ut *Regula S. Augustini.* Praecipue ** S. BENEDICTUS (c. 480 - c. 523), *Regula monachorum,* PL. 66, cum commentario Dni Ménard OSB., ed. crit. a D. Butler, 1912 et a D. Linderbauer, 1922, cum commentario philologico; CAESARIUS Arelatensis († 543), *Ad monachos,* PL. 67; COLUMBANUS († 615), PL. 80; quae Regulae una cum pluribus aliis postea collectae a BENEDICTO Anianensi († 821) habentur etiam sub titulo *Codex Regularum* in PL. 103; cui additur (ibid.) *Concordia regularum* sc. inter Regulam S. Bene-

dicti et loca parallela ceterarum regularum. Cf. H. PLENKERS OSB., *Untersuch. zur Ueberlieferungsgeschichte der ältesten latein. Mönchsregeln,* 1907.

47. *c*) Doctrinam spiritualem, monachorum orientalium traditione efformatam et transmissam, collegerunt ex **dictis** (*Apophthegmata Patrum*) et **exemplis**: ** Ioannes CASSIANUS, *De Institutis coenobiorum et de octo princip. vitiorum remediis* (c. 419-426) et *Collationes XXIV* (c. 419-429), PL. 49, cum commentario A. GAZAEI OSB., ed. crit. PETSCHENIG in CORP. VINDOBON. — * PALLADIUS, *Historia Lausiaca* (420), PG. 34 (recensio interpolata ex alio scripto: *Historia monachorum in Aegypto,* eiusdem aetatis), ed. crit. a D. BUTLER, 1904. — *Apophthegmata Patrum* (cf. BOUSSET, 1923) quorum collectio perfecta videtur post 450 et textum antiquiorum dictorum in se recepit (deest ed. crit., graece PG. 65, latine alio ordine, PL. 73, Libr. V-VI in *Vitae Patrum,* cf. WILMART, R. BÉN. 1922, 185 ss.) — THEODORETUS *Philothea historia* (c. 444) PG. 72. — IOANNES MOSCHUS († 619), *Pratum spirituale,* PG. 87.

Quae scripta (praeter Cassianum), una cum variis monachorum vitis de quibus infra, coaluerunt in decem libros collectionis dictae * *Vitae Patrum* (ed. ROSWEYDE, PL. 73-74) per quam in medio aevo et initio aevi moderni transmissa et diffusa est late doctrina huius scholae spiritualis.

Simili modo GREGORIUS MAGNUS collegit in suis * *Dialogis* traditionem monasticam italicam (c. 593; praesertim l. II de S. Benedicto) PL. 77.

48. 5) **Vitae Sanctorum** plures normam veram praebent vitae spiritualis:

— sive vitae monachorum: *Melaniae iunioris a* GERONTIO, ed. RAMPOLLA, 1905; *Pachomii* a monaco instituti Pachomiani (*AA. SS.* maii, III); *Pauli* et *Hilarionis* a HIERONYMO, PL. 23; *Martini* († 397) a SULPITIO SEVERO († c. 420-425), PL. 20; *Sabae* (apud COTELIER, III, 220), *Euthymii* (MONTFAUCON, *Anal. graeca,* 1 ss.), *Iohannis Silentiarii* (*AA. S.* maii, III), *Cyriaci* (ibid. 29 sept., VII), *Theognii* (ANALECTA BOLLAND. 1891), a CYRILLO SCYTHOPOLITANO († c. 557); *Simeonis Stylitae* (V. saec.), *AA. SS.* ianuarii I, et ed. LIETZMANN, 1908, cf. DELEHAYE, *Les Saints Stylites,* 1923; *Hypatii* (IV-V

saec.) a CALLINICO (V s.), *AA. SS.* iunii, III; *Georgii Chozebitae* (VI-VII s.) ab ANTONIO eius discipulo (ANAL. BOLLAND. 1888);

— sive aliorum ut: *Macrinae* a GREGORIO NYSSENO, PG. 46; *Augustini* a POSSIDIO, PG. 32; *Fulgentii* († 533) a FERRANDO, PL. 65; *Gregorii Magni* a PAULO DIACONO, PL. 75.

Quibus addenda *elogia* a * HIERONYMO in suis epistolis conscripta (PL. 22: ep. 23, *Lea;* 24, *Asella;* 39, *Blesilla;* 60, *Nepotianus;* 66, *Paulina et Pammachius;* 75, *Lucinius;* 77, *Fabiola;* 108, *Paula;* 127, *Marcella*), et orationes habitae in festis martyrum a GREGORIO NAZIANZENO († 389-90) PG. 35-36, cum oratione *in laudem Basilii M.*; a CHRYSOSTOMO, PG. 50; ab AUGUSTINO, Serm. 273-340, PL. 38; etc.

Ipsius tandem AUGUSTINI ** *Confessiones* (PL. 32, c. annum 400), ut prima spiritualis autobiographia iure haberi possunt.

49. 6) **Integram doctrinam** de progressu vitae spiritualis modo ordinato proponere tentant:

— iam MACARIUS Aegyptius († paulo ante 390), in sua brevi *Epistula ad filios* (PG. 34, ed. crit. a WILMART, R. A. M., 1920, 58); * DIADOCHUS Photicensis (saec. V med.), *de Perfectione spirituali capita centum,* latine in PG. 65, text. orig. graec. ed. WEISS-LIEBERSDORF, 1912; praesertim * IOANNES CLIMACUS († c. 649) in sua *Scala Paradisi,* PG. 88 (30 gradus, 1-26 de abnegatione et de virtutibus et vitiis, 27-30 de quiete, oratione, indifferentia et caritate); * MAXIMUS CONFESSOR (c. 580-662), *Liber asceticus* (catechismus spiritualis per interrogationes et responsiones), *Capita de caritate,* etc., PG. 90. Ei etiam tribuuntur *Diversa capita de virtute...* quae W. SOPPA (Dissert. Vratislaviae, 1922) iudicat esse Antonii MELISSAE (XI s.). Affines sunt cum centuriis Maximi, *Centuriae* THALASSII, 86-91 et HESYCHII, PG. 93. Dependent a Maximo capita *de temperantia* quae habentur sub nomine MARCI EREMITAE (V saec.), PG. 65. Scripsit etiam *Capita parenetica ad Monachos* IOANNES A CARPATHO (latine PG. 85, graece in compilatione dicta *Philocalia,* Venetiis, 1782).

Idem fecit in Occidente * IULIANUS POMERIUS († saec. V ineunt.) *de Vita contemplativa,* PL. 59 (inter opera Prosperi Aquit.).

50. Plures alii conscripserunt **tractatus** plus minus extensos de quibusdam particularibus quaestionibus et materiis :

Collectio dicta * « *Ascetica* » Basilio tributa, sed cuius pars tantum est eius opus genuinum (PG. 31), continet, praeter utramque Regulam, varios tractatus et homilias spirituales et late diffusa est tum in Oriente, tum etiam in Occidente ; * Evagrius Ponticus († c. 399), *de Octo vitiosis cogitationibus, Gnostica problemata,* etc. (aliqua PG. 40 ; pleraque vers. armena, ed. Sarghisean, 1907, et syriaca, ed. Frankenberg, 1912 ; paratur integra versio) ; * Gregorius Nyssenus, *de Nomine et professione Christianorum, de Perfectione, de Proposito secundum Deum et vera ascesi, Adversus eos qui castigationes refugiunt*, PG. 46 ; Nilus, abbas, *de Monastica exercitatione, de Voluntaria paupertate, de Diversis malignis cogitationibus, de Octo spiritibus malitiae...* PG. 79 ; Ps. Macarius, *Homiliae pneumaticae*, cum variis tractatibus postea ex eisdem collectis (quae tribuendae videntur scriptori cum Messalianis affini, saec. IV ex. vel V ineunte, cf. Wilmart R. A. M. 1920, 361) ; alii etiam tractatus spirituales sub nomine Orsiesii (e primis Pachomii successoribus), Isaiae († 488, monophysita), Serapionis, abbatum, PG. 40 ; Marcus Eremita (V saec. PG. 65), opuscula ; Dorotheus (c. 600), *Tractatus XXIV: de renuntiatione, de humilitate, de conscientia, de Dei timore*, etc. PG. 88.

51. 7) De **contemplatione infusa** agunt iam late Iulianus Pomerius, Ps. Macarius (*loc. cit.*), praesertim Gregorius M. (cf. Butler, in *Western Mysticism*, 1922). Doctrinam de hac contemplatione mystica proponere et explicare utendo philosophia neoplatonica, post Alexandrinos saeculi III, tentat iam * Gregorius Nyssenus, *de Vita Mosis seu de perfectione secundum virtutem; Commentar. in Cantica,* PG. 44 ; et etiam Evagrius Ponticus, *loc. cit.* Sed praesertim ** Ps. Dionysius Areopagita (c. 500 : scriptor novit scripta Procli † 485 et ipse citatur certo c. 530, forte iam c. 510), *Theologia mystica, de Nominibus Dei, Epistulae,* et etiam in utraque *Hierarchia caelesti* et *ecclesiastica*, PG. 3-4, cum comment. Corderii. Quem postea commentatus est (ita acceptationem et diffusionem eius promovendo) Maximus Confessor (c. 580-662), PG.

3-4 et 91. Eius scripta, initio aetatis sequentis, in Occidentem introducta sunt per translationes HILDUINI († post 842), IOANNIS SCOTI Eriugenae († c. 877) PL. 122, et aliorum, ibique, propter auctoritatem Areopagitae, ipsius Pauli discipuli, cui tribuebantur, immensam nacti sunt auctoritatem et influxum per totum medium aevum.

52. 8) **Errores:**

a) Pergunt errores *Encratismi* apud MANICHAEOS et apud PRISCILLIANISTAS (usus matrimonii, esus carnium illiciti, etc.), contra quos habentur: *Libellus Pastoris episcopi*, DB. 36-37, CAV. 1351, 624 (saec. V); *Concilium Bracarense* (563), can. 11-14, DB. 241-4, CAV. 1353, 618, 624; « *Statuta Eccl. Antiqua* », CAV. 1352 (saec. VI).

53. *b*) IOVINIANUS docet merita esse aequalia apud omnes christianos, nec augeri bonis operibus, ideoque aequalis pretii esse matrimonium et virginitatem... (sicut antea HELVIDIUS et postea VIGILANTIUS etiam virginitatem et ascesim impugnaverunt); cuius errores damnati a *Concilio Mediolanensi*, praeside Ambrosio (c. 389-90), PL. 16, 1124 (epist. 42) et a Siricio papa, CAV. 1406, PL. 13, 1170. Cf. etiam scripta Hieronymi supra citata (praes. *Adv. Iovinian.* I, 3, ubi habetur compendium errorum eius).

54. *c*) PELAGIUS errores suos circa necessitatem gratiae ad salutem et sanctificationem (sicut postea monachi africani et massilienses, SEMIPELAGIANI dicti, in erroribus suis de initio fidei et dono perseverantiae), initium partim saltem sumpsit ex falso asceseos conceptu, doctrinis Stoicorum affini; contra quos catholicam doctrinam de necessitate gratiae, tum ad initium fidei, tum ad operationem bonam et perseverantiam, ideoque de gratuitate praedestinationis, proposuit Augustinus et definivit Ecclesia in *Conc. Carthaginensi* (418, DB. 101-08, CAV. 843), in documentis ab anonymo in *Indiculo* collectis (DB. 129-42, CAV. 845), in *Conc. Arausicano* (529, DB. 174-200, CAV. 852-58, cum approbatione Bonifatii II). Cf. tract. de gratia.

55. *d*) MESSALIANI sive EUCHITAE damnantur c. 390 a duabus *synodis Side* et *Antiochiae;* eorum errores quietistici circa orationem, circa actionem spirituum in anima, habentur

duplici serie propositionum: apud TIMOTHEUM (initio saec. VII, sed referens documentum multo antiquius, probabiliter ipsos errores damnatos saec. IV), *de Receptione haeretic.*, PG. 86, 48-52; et apud IOANNEM DAMASCENUM, *de Haeres.*, 86, PG. 94, 729-31 (Cf. art. *Euchites* in DICT. TH. CATH. V, 1454 et WILMART, R. A. M. 1920, 361-77).

C) — **Medium Aevum** (saec. VIII-XV).

56. 1) Initia medii aevi (saec VIII-XI)

Aetas ferrea et sterilis in qua spiritualium hominum vires in pugna contra corruptionem morum et pro tuenda disciplina ecclesiastica fere absumuntur; unde pauca scripta eaque ut plurimum merae compilationes eorum quae docuerant Patres; quales fuerunt initio huius periodi opera ISIDORI Hispalensis († 636, *Regula monachorum, de Officiis ecclesiasticis*, PL. 83).

Memorandi sunt *Sermones* BEDAE Venerabilis († 735, PL. 95); *Liber de conflictu vitiorum et virtutum*, AMBROSII AUTPERTI († 778), PL. 17, 1057 vel 40, 1091, cf. MORIN R. BÉNÉD. t. 27, 204; *Libri III de institutione laicali*, IONAE Aurelianensis († 843, PL. 106, verum manuale vitae christianae pro laicis); *Opuscula* * PETRI DAMIANI († 1072, PL. 145) cum eius *Sermonibus* et *Epistulis*, necnon Vitae ab eo scriptae (*SS. Romualdi, Odilonis...*)

Vitae Sanctorum multae quidem tunc scribuntur, sed plerumque parum evolvunt quae pertinent ad doctrinam spiritualem et interiorem vitam.

57. Quae spiritualis doctrina potius invenietur practico modo proposita in variis *Regulis*:

— saec. VII, praeter *Regulam* ISIDORI de qua supra, *Regula* FRUCTUOSI Bracarensis († c. 696, PL. 87), « *Regula Magistri* » anonyma, PL. 88; saec. VIII *Regula* CHRODEGANGI Metensis († 766) pro *Canonicis* regularibus, PL. 89; et pro iisdem *Regula Aquisgranatensis* seu *Forma institutionis Canonicorum et sanctimonialium* (816, PL. 105, inter opera Amalarii), quibus succedit saec. XI, pro vita canoniali, *Regula* dicta *S. Augustini* (Ep. 211), quae exponetur ab HUGONE VICTO-

RINO, PL. 176. — Saec. IX, SMARAGDUS († c. 830), *Diadema monachorum* et Comm. in Reg. S. Benedicti, PL. 102.

— praesertim saec. X-XI *Consuetudines Cluniacenses* PL. 149 et ed. ALBERS 1904 ; cum vitis abbatum Odonis († 942), Maioli († 994), Odilonis († 1048), PL. 142 ; cum aliquibus scriptis ut *Collationes* S. ODONIS PL. 133, et tractatus *de Ordine vitae et morum institutione* quem in priori parte saec. XI scripsit IOANNES HOMO DEI (PL. 184, 561, inter opera Bernardi, cf. WILMART, REV. MABILLON, 1925, 5)

— Etiam *Constitutiones Hirsaugienses* et *Farfenses*, PL. 150, 923 et 1191 (et apud ALBERS, *Consuetudines Monasticae*, 1901 et seq.).

58. 2) — **Saeculum XII.**

a) **Schola Benedictina**, tunc florentissima, servans characterem a S. Benedicto et S. Gregorio acceptum, altae et serenae sapientiae supernaturalis, recollectionis et pacis intimae, etiam in mediis gravissimis curis, evolvit et promovet fortem simul et teneram devotionem erga Christum et mysteria vitae eius terrestris :

* ANSELMUS (1033-34, † 1109), *Cur Deus homo ?* et praesertim *Meditationes et Orationes*, magno favore exceptae et quibus mox coniunctae sunt aliae ab aliis exaratae, PL. 158: iuxta WILMART (*Praefat.* in Translat. gallic. COLLECTION « PAX », 1923), sunt genuinae : *Orat.* 9, 20, 41, 50, 51, 52, 63-65, 67-69, 71-72, 74-75, 23-24, *Meditat.* 2-3, 11, *Orat.* 34 ?) — (Similes orationes iam apud PETRUM DAMIANUM, PL. 145, 917, IOANNEM GUALBERTUM († 1073, PL. 146, 971) et IOANNEM FISCAMNENSEM [Fécamp], cuius sunt in collectione anselmiana *Or.* 29, *Med.* 5, *Or.* 3, *Med.* 4, *Or.* 4, 6, *Med.* 6, *Or.* 25-28, 15, 40, 61 ; cf. etiam eiusdem, PL. 147, 445 ss., aliae meditationes quae partim transierunt in *Meditationes Ps. Augustinianas*, PL. 40, 901, WILMART, *ibid*). — Discipulus Anselmi EADMERUS († 1124) scripsit eius vitam, aliasque vitas et scripta quae inter Ps. Anselmiana transierunt, PL. 159 ; ERNALDUS BONAEVALLIS († 1156) *de Donis Sp. S., de Cardinalibus operibus Christi, de VII verbis in cruce*, PL. 189 ; PETRUS CELLENSIS († 1183), *de Disciplina claustrali*, PL. 202.

RUPERTUS Tuitensis (Deutz, † 1135), *de Operibus Spiritus Sancti,* PL. 167; *de Meditatione mortis,* PL. 170, ubi etiam eius scripta in controversia cum Canonicis regularibus de excellentia vitae canonialis et monasticae.

BERNARDUS CASSINENSIS († 1282) *Speculum monachorum* ed. Wolter, 1901.

59. Apud Cistercienses (condit. 1098, *Usus*, *Charta caritatis* Stephani HARDING, *Exordium cisterciense*, PL. 166, 1377) eminet ** BERNARDUS (1090-1153), PL. 182-184: *de Consideratione ad Eugenium III; de Diligendo Deo, de Gradibus humilitatis, de Conversione ad clericos...; Sermones*, praesertim *in Cantica* et *de Diversis* (fere omnes de rebus spiritualibus), *Epistulae* (quarum index asceticus PL. 182, 1198); *Vita Malachiae*; scripta de disceptatione inter ipsum et PETRUM VEN. Cluniacensem circa vitam monasticam rite instituendam, praes. *Apologia* (scripta Petri PL. 189 et *Epist.* 229 inter Bernardinas). Ipsius Bernardi Vita a coaetaneis, PL. 185; de eius doctrina spirituali cf. RIES, 1906, et LINDHARDT, 1923). Sermones *in Cantica* a Bernardo non completos prosecutus est GILBERTUS DE HOYLAND († 1172) Cisterc., PL. 184, cum eiusdem tract. asceticis *de Contemplatione*, etc. — Eadem aetate etiam *Cantica* mystice interpretati sunt: WOLBERO OSB. (c. 1150), PL. 195; HONORIUS AUGUSTODUNENSIS (ante 1150, PL. 172, cf. eius *Speculum Ecclesiae*); RICARDUS A S. VICTORE, PL. 196; GILBERTUS FOLIOT OSB. († 1188), PL. 202; PHILIPPUS DE HARVENGT († 1182, Praemonstr.), PL. 203; THOMAS CISTERCIENSIS (saec. XII ex.), PL. 206.

60. Inter Bernardi discipulos: * GULIELMUS A S. THEODORICO († c. 1150), *de Contemplando Deo, de Natura et dignitate amoris, Meditativae Orationes,* PL. 184, in appendice Bernardi, cf. 180; et etiam *Epistula ad Fratres de Monte Dei* (PL. 184, 307, cf. WILMART, R. A. M. 1924, 144); * AELREDUS RIEVALLENSIS († 1156), *Sermones, Speculum caritatis,* PL. 195; *de Puero Iesu duodenni,* PL. 184; *de Spirituali amicitia,* PL. 40, 831; *de Vita eremitica ad sororem*, PL. 32, 1451, inter Ps. Augustin.; ALCHERUS Clarevallensis (med. saec. XII), *de Spiritu et anima* (inter Ps. Aug. PL. 40, 779, cf. 194, 1687).

61. *b*) **Schola carthusiana** fovet vitam *anachoreticam :*

* Guigo I († 1137, 5us prior Carthusiae et verus legislator), *Vita Hugonis Gratianopolitani* († 1132 cum S. Brunone [† 1101] conditor). *Consuetudines Carthusienses, Meditationes* (partim tantum et male editae), PL. 153 ; * Guigo II († c. 1193) etiam prior, *Scala claustralium* (c. 1145, PL. 184, 475 vel 40, 997, inter Ps. Bernard. vel Ps. August.) ; quidam alius Carthus. c. 1190 : *de Quadripertito exercitio cellae*, PL. 153. Cf. Wilmart, R. A. M., 1924, 59; 127.

62. *c*) **Canonici Regulares** *S. Victoris*, Parisiis, scholam constituunt magis speculativam (influxus Ps. Dionysii) :

* Hugo Victorinus (1096-1141) : *Comment. in Hierarchiam caelest Ps. Dionysii*, PL. 175 ; *de vanitate mundi, de institutione novitiorum, de Arrha animae, de Laude caritatis, de modo orandi, de contemplatione, de modo meditandi...* PL. 176 (ibi etiam scripta Hugonis de Folieto [Can. reg. † c. 1174], *de Claustro animae, de XII abusionibus claustri materialis, de Medicina animae...*)

* Ricardus Victorinus († 1173) : *de statu interioris hominis, de eruditione interioris hominis, de Gradibus caritatis, de IV gradibus violentae caritatis...* ; praesertim, *de Praeparatione ad contemplationem (Beniamin minor), de Gratia contemplationis (Beniamin maior)*, PL. 196.

— Apud *Praemonstratenses* (conditi 1121 a S. Norberto cuius vita PL. 170, et melius Mon. Germ. Scriptores, 12), Anselmus ab Havelberg († 1158), *de Ordine Canonicorum regularium* et *Epist. apologetica* (contra Rupertum), PL. 188 ; Adam Anglicus seu Scotus (saec. XII exeunte), *de Tripartito tabernaculo, de Triplici genere contemplationis*, PL. 198.

63. *Notandum* : Momentum magnum habuerunt in historia doctrinae spiritualis collectiones operum *pseudepigraphorum* quae continent scripta eximia et sub falso nomine aliquando vulgatissima; sic collectiones *Ps. Basiliana, Ps. Areopagitica. Ps. Macariana*, et apud latinos : *Ps. Augustiniana, Ps. Anselmiana, Ps. Bernardina*, et postea praesertim *Ps. Bonaventuriana.*

64. 3) — **Mysticarum scripta.**

Hac aetate et deinceps plura eduntur scripta quibus referuntur *mysticarum* sanctimonialium vel piarum mulierum

visiones, revelationes, gratiae contemplativae, et doctrina eis a Deo infusa; vel ab ipsis scripta, vel saepius collecta ab earum confessoribus aut discipulis, per modum vitae, relationis, dialogi, tractatus aut epistolarum. Praecipua aliqua in medio aevo hic recoluntur:

a) Ex ordine S. Benedicti:

S. HILDEGARDIS a Bingen (1098-1179): *Scivias* (sci vias Domini), *Liber operum Domini, Liber vitae meritorum, Epistulae,* PL. 197 (cf. PITRA, *Analecta*, 8, et ANAL. BOLL. 2, 116; paratur ed. crit. a monasterio OSB. Oosterhout).

S. ELISABETH A SCHOENAU († 1165), *Vita* partim ab ipsa dictata, partim ab EGBERTO fratre conscripta, PL. 195 et ed. ROTH, 1884.

In monasterio Elpediano (Helfta): * S. GERTRUDIS (1256-1302 ?), *Revelationes* seu *Legatus amoris divini* aut *Insinuationes divinae pietatis* (liber II ab ipsa scriptus, III-V ex notis ab ea dictatis, I brevi post eius mortem); *Exercitia spiritualia*, cf. de eius doctrina DOLAN, 1912, 1922 (anglice et gallice). — * S. MECHTILDIS ab Hackeborn (c. 1242-1299), *Liber gratiae specialis* (cuius lib. VI-VII de Gertrudi ab Hackeborn et de ipsa). — MECHTILDIS MAGDEBURGENSIS (c. 1210-c.1285), *Das fliessende Licht der Gottheit* (scriptum c. 1250-64, lib. I-VI ante ingressum in Helfta, adiuta a Dominicano HENRICO AB HALLE; lib. VII in Helfta servatum in translatione HENRICI A NORDLINGEN veteri lingua germanica, ed. MOREL 1869, et in antiquiori, c. 1290, translat. latina librorum I-VI). Textus latinus trium mysticarum in *Revelationes Gertrudianae et Mechtildianae,* ed. a Monachis Solesmensibus, 1875.

B. CHRISTINA A STOMMELN (1242-1312) cuius vitam partim narravit PETRUS DE DACIA OP. († 1288), AA. SS. iunii, IV (22).

B. CHRISTINA († c. 1224 in S. Trudonis) et S. LUDGARDA († 1246) quarum vitas conscripsit THOMAS CANTIPRATENSIS OP., AA. SS. iulii V (24) et iunii IV (16).

* S. BIRGITTA (1303-1373 Romae) vidua, aliquandiu in monast. Cisterc. Alvastra (Suecia): *Revelationes* (l. VIII, cum lib. I Revelationum extravagantium) scriptae suecica lingua et translatae a confessoribus PETRO AB ALVASTRA et MAT-

THIA A LINKÓPING; de quibus longa discussio in Concilio Basileensi (cf. *Opera Gersonis* t. I et MANSI, 30, 698), *Regula, Sermo angelicus;* ed. Romae 1628 et pluries, cum eius defensione a Card. TURRECREMATA. Eius canonizationis processus editus a COLLIJN, Stockholm, 1920.

65. *b*) — *Ex ordine S. Dominici:*

* S. CATHARINA SENENSIS (1347-1380), *Libro della divina dottrina* seu *Dialogus* aut *Tractatus de divina Providentia,* ed. GIGLI, 1707, reimp. 1866, cum eius vita a RAIMUNDO CAPUANO OP. et THOMA CAFFARINI, cf. AA. SS. aprilis III (29); *Epistulae,* ed. Tommaseo, 1860, et Ferretti OP. 1918 ss.

B. OSANNA DE ANDREASSI a Mantua († 1505), *Libello della vita propria e dei doni spirituali da Dio a lei collati; Vita* a F. de SYLVESTRIS FERRARIENSI, AA. SS. iunii 18.

Margarita EBNER († 1351), in Medingen, *Revelationes* germanice ed. STRAUCH, 1882.

In monasterio Engeltal, Christina EBNER († 1356) cuius revelationes germanice partim ipsa, partim CONRADUS A FUESSEN OP. scripserunt, ed LOCHNER 1872. Ipsa etiam scripsit Vitas Sororum Engeltalensium (*Von der Genaden uberlast,* ed. SCHROEDER, 1871). — Ibidem Adelais LANGMANN († 1375), Revelationes ed. STRAUCH, 1879.

Plures aliae exstant collectiones vitarum monialium ex ord. S. Dominici, gratias earum mysticas referentium: in Toess (ab Elisabeth STAGEL, ed. VETTER, 1906); in Unterlinden prope Colmar (a CATHARINA A GUEBWILLER, latine in PEZ *Bibliotheca Ascetica,* 8); in Adelhausen prope Friburgum Brisgoviae, ab ANNA A MUNTZINGEN (1318); controvertitur autem character stricte historicus harum collectionum. Cf. C. GREITH, *Die deutsche Mystik im Prediger-Orden* (1250-1550).

66. *c*) — *Ex ordine S. Francisci:*

S. MARGARITA A CORTONA (c. 1247-1297), *Vita* a confessore GIUNTA DE BEVAGNA, in AA. SS. febr. III (22); nov. ed. a CRIVELLI, 1897.

* B. ANGELA A FOLIGNO (1297-1309), *Liber* constans ex *Memoriali,* collecto a confessore fratre A. OSF., et variis documentis, ed. crit. a DONCŒUR, 1925 (textus vulgatus in

AA. SS. ianuar. I, [4], est posterior retractatio textus originalis).

S. Catharina Bononiensis († 463), Revelationes sive *de Septem armis spiritualibus,* cum eius vita, AA. SS. mart. II (9).

B. Baptista Varani († 1527), autobiographia in AA. SS. maii VII (31); *Opere spirituali,* ed Santoni, Camerino, 1894.

67. *d*) *Variae:*

— Maria Oniacensis (Oignies, c. 1177-1213), Vita et revelationes, conscriptae ab eius confessore Iacobo a Vitry († 1240), in AA. SS. iunii IV (23).

— Soror Hadewigis (XIII saec.), opera flandrice edidit Van Mierlo, 1908, cf. R. A. M. 1924, 269, 381.

— Iuliana a Norwich (1342, † post 1413?), *Revelations of Divine Love,* Londini 1902 et pluries.

— B. Dorothea Montoviensis (c. 1347-1394) *Septililium* scriptum ab eius confessore Ioanne Marienwerder, partim (tr. I, de caritate) editum in Anal. Boll. 1883, p. 381-472.

— S. Francisca Romana (1384-1440), Vita et visiones, AA. SS. mart. II (9), fundatrix Oblatarum in Tor de' Specchi (vita communis sine votis religiosis).

— * S. Catharina Genuensis (1447-1510) *Vita* et revelationes collectae italice ab eius directore Marabotto, cum *Tractatu de Purgatorio; Dialogus de divino amore* ei adscriptus videtur esse opus Baptistae Vernazza, († 1587) filiae discipuli eius Ettore Vernazza, cuius *Opere spirituali,* 3 vol. 1588, cf. v. Huegel, *The mystical element... in S. Catherine of Genoa...,* ed. 2, 1923.

68. 4) **Schola Dominicana:**

Ipse S. Dominicus († 1221) dedit ordini suo Regulam S. Augustini et Constitutiones, partim ex Praemonstratensibus depromptas, quas cum ipsa Regula commentatus est * Humbertus de Romanis († 1277) cuius opera in Bibl. Maxim. PP. Lugdunensi, 25, et ed. Berthier, 1889. Successor S. Dominici, Iordanus de Saxonia († 1237) scripsit Epistulas spirituales, ed. Altaner, 1925, Leipzig.

Nova cum Praedicatoribus et Minoribus oritur tunc forma vitae religiosae (unio vitae contemplativae cum munere do-

cendi et praedicandi, non ex occasione, sed ex instituto susceptо; fusio completa monasteriorum in unam familiam religiosam (unde tollitur stabilitas in hoc monasterio), unde novae scholae spirituales. Apud Praedicatores ab initio character speculativus, doctrinalis, et simul alte contemplativus, vitae spiritualis.

69. Qui character confirmatus est ex influxu ** S. THOMAE AQUINATIS (1225-1274) qui completam synthesim doctrinalem proposuit circa vitam spiritualem, passim in operibus suis dispersam, sed pressius expositam in opusculis circa controversiam de vita religiosa cum GULIELMO A S. AMORE, et in II parte Summae: Contra Gulielmum, c. 1255-56, *Quodlib.* VII, a. 17-18 et *Contra impugnantes Dei cultum et religionem;* et iterum secunda epoca controversiae (discussio magis generalis), 1269-71, *de Perfectione Vitae spiritualis, Quodlib.* III, a. 11-17; IV, a. 23-24; V, a. 19-20; et in *II-II*, q. 183-189. — Expositio magis generalis in *Summa I-II* praesertim q. 68-70, 109-114; *II-II*, de Donis et virtutibus in particulari, praecipue q. 8-9, 19, 23, 28, 35, 45, 81, 83, 101, 121, 104. 106, 152, 160, 161, 171-175, 179-182. Cf. etiam *Commentar.* in Epist. Pauli, in Ps. Dionysium de Div. Nomin. (eius doctrina systematice collecta a VALLGORNERA, BARTHIER, cf. inf.) — B. ALBERTUS MAGNUS († 1280), *Comment. in Ps. Dionys,* et passim *in Sentent.;* plura opuscula ei tribuuntur quae non sunt eius (*de Adhaerendo Deo, Paradisus animae...);* GULIELMUS PERALDUS († c. 1270) *de Eruditione religiosorum* sive *Speculum religiosorum* (sub nomine Humberti, BIBL. MAX. PP., 25), *Summa de vitiis et virtutibus.*

70. Doctrinam simul et instructiones practicas proponunt: Iacobus PASSAVANTI († 1357, Florentiae), *Specchio di vera penitenza,* Florentiae 1924, ed. LEONARDON; Ioannes DOMINICI († 1419), reformator ordinis in Tuscia, *Libro d'amore di carità,* ed. CERUTI, 1889, *Regola del governo di cura familiare,* ed. SALVI, 1860; — eius discipulus * S. ANTONINUS Florentinus († 1459), in scriptis de re morali, in *Summa theologica,* praes. in opusculis ut *Opera a ben vivere,* sive *Regola di vita cristiana,* ed. Florent. 1923 (scriptum pro nobili femina, cf. « Introductio » Salesiana); Dominicus CAVALCA (saec. XV ex.) *Specchio della croce, Disciplina delli spirituali.;* Hieronymus

SAVONAROLA († 1498), *Tr. dell' humilità, dell' oratione, dell' amore di Gesù, della vita vedovile, de simplicitate vitae christianae.*

* S. VINCENTIUS FERRERIUS († 1419), *Opuscula ascetica,* ed. Paris. 1901, praesertim *Libellus de vita spirituali.*

71. In Germania floret schola praesertim mystica: ECKARDUS († 1327) cuius scripta multa, sed valdē incerto modo transmissa et edita (cf. HORNSTEIN, *Grands mystiques allemands,* 1922, 50), opera latina partim apud DENIFLE, ARCHIV. F. L. U. KG, II; ex germanicis certo authenticum *Buch der Göttlichen tröstung,* ed. STRAUCH, 1910. De eius erroribus, cf. infra. n. 87.

* Ioannes TAULER († 1361), *Sermones,* germanice ed. VETTER, 1910, late diffusi in translatione latina Surii (in qua plures sermones et tractatus non sunt eius); *Institutiones* sunt compilatio recentior ex eius et aliorum scriptis; item « vita » eius seu *Meisterbuch* praemissa antiquis editionibus, de eo non agit, sed videtur pia fictio orta inter sic dictos Amicos Dei (Gottesfreunde) circa RULMAN MERSWIN (1307-1382), qui ipse fuit discipulus Tauleri et auctor scriptorum inter quae libellus *de Novem rupibus,* falso Susoni adscriptus, ed. SCHMIDT, 1859.

* Henricus SUSO (Seuse, c. 1295-1366), *Liber aeternae sapientiae; Liber Veritatis, Epistulae,* quae habentur collecta sub titulo *Exemplar,* cum eius *Autobiographia,* ab Elisabeth STAGEL eius discipula; at de genuinitate autobiographiae controvertitur sicut et de eius plena historicitate; ipse latine transtulit librum Sapientiae, titulo *Horologium divinae Sapientiae,* ed. Coloniae, 1861; Operum textus originalis germanicus ed. DENIFLE, 1880 et melius BIHLMEYER, 1907.

Huic scholae mysticae Germanicae etiam pertinent, cum NICOLAO ARGENTINENSI OP. (XIV s., Sermones, ed. PFEIFFER *Deutsche Mystiker,* I, 1857), extra ord. Praed.: HENRICUS A NORDLINGEN (saec. XIV), epistulae mysticae cum Marg. Ebner, ed. STRAUCH, 1882; HENRICUS DE LANGENSTEIN († 1379), *Speculum animae, Secreta Sacerdotum, de vita solitaria.* Cf. PREGER, *Deutsche Mystik in Mittelalter,* 3 vol., 1874-1893.

72. Schola Franciscana.

** S. Franciscus (1182-1226), praeter utramque *Regulam* anni 1221 et 1223 cum *Testamento* Spirituali, scripsit aliqua alia opuscula et epistulas, ed. crit. Lemmens, Quaracchi, 1904. Eius autem spiritus aeque servatur in *vitis* eius scriptis a Thoma a Celano († post 1250) eius socio, *Legenda prima*, statim post mortem, et *secunda*, 20 annos postea, ed. crit. Eduardi Alenç., 1906; etiam *Legenda antiqua* videtur opus Fr. Leonis unius ex sociis eius (ed. Delorme, Paris, 1926); dein *Legenda* S. Bonaventurae (inter eius op. ed. Quaracchi); postea variae compilationes, *Speculum perfectionis* (ed. Lemmens, 1901), *Legenda 3 sociorum, Actus B. Francisci* qui libere translati in linguam italicam sunt celebres *Fioretti* (ed. Bughetti, Florentiae, 1926); quae traditiones circa Franciscum et primordia ordinis postea collectae sunt a Bartholomaeo de Pisis in libro *de Conformitate vitae B. P. Francisci ad vitam Dni Iesu*, ed. crit. Quaracchi, 1907-1912. — Omnia illa documenta de vita S. Francisci critice edita colliguntur in *Legendae S. Fr. Ass.* (Analecta franc., X), Quaracchi 1926 ss.).

73. Integrae scholae franciscanae, iuxta spiritum S. Patriarchae, character praecipuus est amor tener aeque et ardens in Christum, et vita simpliciter, heroice, evangelica; hinc studium se conformandi Christo et zelus in summam paupertatem; ita tamen ut ab initio evolvatur duplici modo, et ardenti altaque vita mystica, et solida practica ascesi:

* David Augustanus († 1272) praxim vitae religiosae imprimis respicit in *Formula novitiorum*, seu melius *de Exterioris et interioris hominis reformatione* (inter opusc. Bonaventurae; ed. crit. Quaracchi, 1899), qui liber extraordinariam nactus est diffusionem per integrum medium aevum (plus quam 370 mss.).

** S. Bonaventura (1221-1274), plura iam habet de vita spirituali in *Commentario in Sententias* et in *Quaestionibus* (*Q. de humilitate...*); sed praecipue opuscula mystica: *Itinerarium mentis ad Deum, Incendium amoris seu de Triplici via, Soliloquium, Lignum vitae, Vitis mystica, de Sex alis Seraphim; de Perfectione vitae ad Sorores, Regula novitiorum; Apologia pauperum* et alia de Ordine Minorum (ed. crit. Quaracchi,

1882-1902, t. V et VIII, et separatim pro pluribus opusculis, 1900) Cf. LONGPRÉ, *Mystique de S. Bonaventure*, 1921.

74. Ipsi insuper tributa sunt multa aliorum scripta quae auctoritate eius commendata multum contulerunt evolutioni doctrinae ; ex quibus ad eamdem Minorum scholam pertinent : *Stimulus amoris* (IACOBI MEDIOLANENSIS, fin. XIII s., ed. Quaracchi 1905, cum *Cantico pauperis* IOANNIS PECKAM) ; *Speculum religiosorum* (BERNARDI DE BESSA ? † c. 1278) ; *de Septem itineribus aeternitatis* (RADULPHI DE BIBERACH, med. saec. XIV) ; *Diaeta salutis* (GULIELMI DE LANICIA, init. saec. XIV) ; * *Meditationes vitae Christi* (IOANNIS DE CAULIBUS ?, s. XIV), in quibus evolvitur modus contemplandi vitam Christi, iam ab AELREDO Rievallensi *de vita erem.* 47-65 propositus.

B. Raimundus LULL (c. 1232-36, 1315) *Libre de Contemplacion,* 1272 ; *Blanquerna* (c. 1284, ubi *de arte contemplationis*) ; ed. crit. 1914, Palma de Maiorca : Obres de Ramon Lull.

S. BERNARDINUS SENENSIS (1380-1444), *Sermones (Opera,* ed. 1636 et pluries ; *Prediche volgari*, 3 vol. 1880-88 ; *Scripta ascetica,* ed. 1903). — Eius vita a S. IOANNE A CAPISTRANO († 1456) initio Operum. — CHERUBINUS SENENSIS (saec. XV), *Regulae vitae spiritualis, Conforto spirituale.*

75. « Spirituales » franciscani et ipsi plura scripserunt ad tradenda ea quae desumpserant partim ex doctrina Ioachim abbatis Florensis et ad propugnandam strictissimam paupertatem, sic UBERTINUS A CASALE († post 1327), *Arbor vitae crucifixae Iesu,* ed. 1485 et alii tractatus partim ed. EHRLE in ARCHIV, 2-3 ; ANGELUS CLARENUS († 1337), *Historia septem tribulationum O. Min.* ed. EHRLE ibid. Cf. CALLAEY, *Idéalisme franciscain spirituel au XIV^e siècle,* 1911 et BALTHASAR, *Gesch. des Armutsstreites in Fr. O.* 1911.

76. * Henricus HARPHIUS (Herp, prius Frater vitae communis, unde eius dependentia a Ruysbroeck, dein Fr. minor 1450, † 1477), theologiam mysticam systematice exponit tribus libris : *Eden contemplativorum* (1456, in monte Alverno), *Epithalamium divini amoris* (post Eden) ; antea, ut videtur, scripserat *Directorium aureum contemplativorum* (prius flandrice, *Spieghel der volcomenhait,* ed. 1501, dein latine a P. BLOMEVENNA Carth.) ; quae tria scripta collecta sunt a Carthusiano LOHER

cum titulo *Theologia mystica,* 1545: quod opus in Indice positum, prodiit correctum Romae cura P. Philippii OP. 1586 et saepius postea, fuitque saec. XVI et XVII classicum.

77. 6) **« Devotio moderna » et reformationes saec. XV.** Inde a medio saec. XIV, nova constituitur schola spiritualis in Neerlandia et circa inferiorem Rhenum, quae iam tunc consuevit vocari « devotio moderna »; cuius centrum sunt Fratres vitae communis et Canonici regulares Augustinianenses congregationis Windesheimensis, eiusque magnus fuit influxus tum in reformationes monasticas huius aevi, tum in scholas spirituales recentiores. Ipsa vero multa hausit ex schola franciscana et mystica dominicana germanica; magis autem immediate pendet a Ruysbrockio et a Carthusianis inferioris Germaniae: inde apud eam intimus mysticismus et simul practicus et studiosus ascetismus, ardens amoris impetus et sedula cura ordinandi vitam interiorem (methodi orationis et examinis).

78. *a*) **Carthusiani:**

— Hugoni de Balma (fin. saec. XIII) tribuenda videtur * *Theologia mystica,* seu melius *de Triplici via ad sapientiam,* late inter opuscula S. Bonaventurae vulgata (certo scripta ante 1285, fons ut videtur doctrinae de *aspirationibus* evoluta a mysticis anglis, Harphio, Bona etc.).

* Ludolphus de Saxonia († 1377), prius OP. dein Carth.: *Vita D. N. Iesu Christi e sacris quatuor Evangeliorum Sanctorumque PP. fontibus pie simul et ample derivata in christianae pietatis educationem et oblectamentum* (prima editio 1477): evolvit quae inceperant Aelredus, Ernaldus Bonaevallis, Meditationes Ps. Bonaventurae, proponendo integram Christi vitam ex ordine meditandam fidelibus (eodem tempore B. Simon Fidatus a Cascia O. S. August., † 1348, *de Gestis Domini).*

* Dionysius a Rijckel « Carthusianus » (1402-1471): *Comment. in Cassianum, in Climacum, in Dionysium Areopagitam; de Omnium ordinum sive statuum institutione; Speculum amatorum mundi; de Oratione, de Remediis tentationum, de Gaudio spirituali; de Fonte lucis, de Discretione spirituum, de*

Contemplatione. (ed. *Opera omnia,* Monstrolii, 1896 ss., et ibidem separatim *Opuscula mystica*).

— Henricus Eger de Kalkar († 1408), opera fere omnia inedita, sed magnus influxus: edita habentur, *Psalterium seu Rosarium B. Virginis,* et *Quidam utilis tractatus proficere volentibus* (in memorata edit. Dionysii Carth., t. 42 ad calcem). — Nicolaus Kempf († 1497), *Expositiones mysticae in Cantica* (apud. Pez, *Biblioth. Ascet.* t. 11-12); Henricus Arnold († 1487), *Tractatus de modo perveniendi ad veram et perfectam Dei et proximi dilectionem* (Pez, *ibid.* t. 6); Iacobus de Indagine († 1475) *de Perfectione et exercitiis Carthusiensis ordinis,* ed. 1608 etc. — Ioannes Lanspergius († 1539) *Alloquium Christi ad animam fidelem; Pharetra divini amoris,* etc. ed. Monstrolii, 1888-90; edidit scripta S. Gertrudis. — Alii etiam Carthusiani initio saec. XVI multum contulerunt ad vulganda scripta mystica medii aevi, praesertim Surius, edendo et latine transferendo.

79. *b*) Fratres Vitae communis et Canonici Windesheimenses.

— Horum magister et inspirator fuit * Ioannes Ruysbroeck. (1293-1381), qui ipse commercium habuit cum mysticis germanis Tauler etc. Tractatus scripsit XII vetere lingua flandrica: *Speculum salutis aeternae, Liber altissimae veritatis; Ornamentum nuptiarum spiritualium* (praecipuum eius scriptum) et eius appendix *Lapis scintillans; liber XII beghinarum* seu *de vera contemplatione...* Textus originalis ed. David, 1858-68, paratur editio critica a Müller, Reypens...; translatio vel paraphrasis latina a Surio, 1552 et translatio gallica textus orig. a monachis OSB. 1915 ss., Bruxelles.

80. Institutores FF. Vitae communis et Can. reg. Windesheimensium fuerunt eius discipuli Gerardus Groot (Magnus, 1340-1384, discipulus etiam Henrici Kalkar; *Epistolae* aliquae et breves tractatus editi in variis periodicis) — et Florentius Radewijns (1350-1400), *Tractatulus devotus de exstirpatione vitiorum et acquisitione virtutum,* ed. Nolte, 1862. Utriusque vitae et aliorum ex primis sociis, scriptae a Thoma a Kempis (cf. etiam *Chronicon Windesemense,* scriptum a Ioanne Busch († c. 1479), ed. Grube, 1887 et ea quae

scripsit R. Dier de Muden, ed. Dumbar, Daventriae, 1719),

— Gerardus Zutphaniensis (1367-1398), *de Spiritualibus ascensionibus ; de Reformatione virium animae* (in Bibl. PP. Max. Lugdun. 26, 235 ss.); Gerlacus Peters († 1411), *Soliloquium ignitum,* ed. Strange 1849 et saepe; — Henricus Mande (c. 1360-1431), *de intimis Iesu Christi; Quomodo veterem hominem exuere debeamus*, ed. neerlandice Visser, 1899; Ioannes a Schoonhoven (1358-1431) *Defensio scriptorum Rusbrochii* (contra Gerson, in ed. *Operum* eius a Dupin, t. I), et multa inedita (fragmenta in R. A. M., 1923, 256).

81. * Thomas Hemerken a Kempis (1380-1471) can. reg. in Monte S. Agnetis. Omnino ei tribuendi videntur quatuor tractatus: *Admonitiones ad spiritualem vitam utiles* (I); *Admonitiones ad interna trahentes* (II); *Devota exhortatio ad sacram Communionem* (IV); *Liber internae consolationis* (III), qui titulo ** *de Imitatione Christi* tam late statim diffusi sunt (cf. testimonia coaetaneorum apud Huyben in Vie spirituelle, Supl. 1925-26; ipse liber conscriptus est intra annos 1420-27, et iam exstat completus in mss. anni 1427, anonymusque prodiit, licet exemplum eius habeatur in mss. Bruxellensi ipsius auctoris manu exarato cum aliis tractatibus quorum ultimus finitus est anno 1441). — Multa alia scripsit Thomas: *Orationes et meditationes, Soliloquium animae, de Tribus tabernaculis, Hortulus rosarum; Vitae* Gerardi Groot, Florentii et plurium sociorum, S. Lydwinae, *Chronicon Montis S. Agnetis.* Ed. crit. Pohl, 7 vol. Friburgi, 1902-22.

— Ioannes Mauburnus (Mombaer † 1503), *Rosetum exercitiorum spiritualium*, 1491 (magna compilatio doctrinae huius scholae).

82. *c)* Quae schola multum contulit in plures **reformationes** monasticas saeculi XV:

— * S. Laurentius Iustinianus (1381-1455) reformat Can. reg. S. Georgii in Alga, Venetiis; multa scripta: *de Perfectionis gradibus, de Compunctione, de Humilitate, de Obedientia, de Vita solitaria.* (*Opera omnia,* 1560 et saepe).

— Ludovicus Barbo (1380-1443) prius can. reg. S. Georgii et ipse, dein reformator Congregationis OSB. S. Iustinae,

Patavii (postea Cong. Cassinensis), *Modus meditandi et orandi* (ed. cum Cisneros, 1856).

Garcia de Cisneros (1455-1510), reform. monasterii OSB. Monserratensis: *Exercitatorium vitae spiritualis,* 1500, latine et hispanice (ed. lat. Ratisbonae, 1856, cum eiusdem *Directorio horarum canonicarum;* hispanice, Barcinone, 1912).

In Germania, reformatio Bursfeld (1433), dein Tegernsee, etc. Ioannes Rode († 1439) *de Bono regimine abbatis*, Pez, *Bibl. Asc.* 1 — Ioannes a Kastl (init. saec. XV), * *de Adhaerendo Deo* (vulgo Alberto M. tributum), et multa inedita quorum paratur editio in Oosterhout, praes. de Lumine increato (cf. Grabmann, Theol. Quartalschr. 1920, et Huyben, Vie spirit. Suppl. 1922-23); — Bernardus a Waging (Tegernsee, c. 1400-1472) *de Spiritualibus sentimentis* et *de perfectione spirituali,* cf. Grabmann in Franzisk. Studien, 1921; — Cuius amicus et fautor harum reformationum Cardinalis Nicolaus Cusanus (1401-1464), ipse alumnus erat FF. Vitae Communis: *de Docta ignorantia* (1440; inter *Opera,* et Bari 1913; cf. Van Steenberghe, 1915, in Beitraege f. Gesch. der Philos. des M. A., XIV, 2-4).

83. 7) Extra has scholas praecipue nominandi:

In Anglia, post S. Edmundum Cantuariensem († 1240, *Speculum Ecclesiae,* in Bibl. Max. PP. Lugdun., 25, 316), praesertim schola mystica saeculi XIV, cui pertinent, praeter Iulianam de qua supra: Ricardus Rolle ab Hampole († 1349) eremita, *Incendium amoris* (ed. Deanesly, 1915), *The form of perfect Living,* ed. Hodgson, 1910; *de Emendatione peccatoris,* in Bibl. Max. PP. Lugdun. 26, 609; et alia. — Anonymus quidam med. saec. XIV: *The Cloud of Unknowing* et alii breves tractatus (ed. McCann, 1924 et gallice a Noetinger, 1924). — * Walterus Hilton († 1396), *Scala perfectionis,* anglice (ed. Underhill, 1923, transl. gall. Noetinger, 1923).

84. In Gallia, Raimundus Iordanis (fin. saec. XIV), can. reg. Aug., *Contemplationes de amore divino...* vulgatae sub nomine « Idiotae » cum aliis eius scriptis (in Bibl. PP. Parisiensi, 1644, t. 5, 419); — Card. Petrus de Alliaco (Ailly, † 1420), *Tractatus* et *Sermones* (*de IV gradibus scalae spiri-*

tualis, Compendium contemplationis, etc.), ed. Duaci, 1634; *de falsis prophetis* (inter opera GERSON), *Comm. in Cantica.*

* Ioannes GERSON (1363-1429), *de Monte contemplationis, Theologia mystica speculativa et practica; de Probatione spirituum, de Falsis et veris visionibus; de Conscientia scrupulosa, de Simplicitate; de Parvulis ad Christum trahendis...* (*Opera,* ed. DUPIN, 1706, t. I et III).

In Italia, MAPHAEUS VEGIUS (1406-1458), *de Perseverantia religionis, de Quatuor hominis novissimis,* in BIBL. MAX. PP. LUGD. 26.

85. 8) Inter **Orientales** medio aevo praecipue eminent:

* S. THEODORUS STUDITA (759-826), *Catechesis minor* (ed. AUVRAY, Paris 1891, latine PG. 99) et *Catechesis maior,* ed. COZZA-LUZI, in NOVA PP. BIBLIOTH. 10; *Sermones de Sanctis monachis,* PG. 99. Cf. HAUSHERR, in ORIENTALIA CHRISTIANA, 1926.

* SIMEON NOVUS THEOLOGUS († c. 1036-40), *Sermones, Capita practica et theologica, Hymni mystici,* PG. 120; et discipuli eius, inter quos NICETAS PECTORATUS, *Centuriae tres,* PG. 120.

THEOLEPTES PHILADELPHIENSIS (XIII s.), *de Abscondita operatione in Christo et profectu in vita monastica,* PG. 143; — GEORGIUS PACHYMERES († c. 1310), paraphrases et commentaria in Ps. Dionysium, PG. 3-4.

Saeculo XIV oritur controversia circa doctrinas quietisticas *Hesychastarum,* quorum initiator videtur fuisse GREGORIUS SINAITA (XIV s.), *Capita 137* et opuscula de *quiete* et *oratione,* PG. 150; fautor vero praecipuus fuit GREGORIUS PALAMAS († 1359), *Theophanes,* dialogus; *Capita CL* (PG. 150; et PG. 151 varia documenta circa hanc controversiam). — Potius huic doctrinae favet * NICOLAUS CABASILAS († 1371) in egregiis operibus: *de Vita in Christo, de Divino altaris sacrificio,* PG. 150. — Eidem doctrinae adversatur IOANNES CYPARISSIOTA (XIV s.) *Expositio materiarum quae de Deo a theologis dicuntur,* PG. 152; et praesertim GREGORIUS ACYNDINUS (XIV s.), PG. 151.

Cf. KRUMBACHER, *Gesch. der Byzantinischen Litterat'* 1897, p. 139 ss.

86. Errores et documenta ecclesiastica:

a) Inter Abaelardi errores damnatos in *Concilio Senonensi* (1140), prop. 11, 15, DB. 378, 382 (caritas excludit etiam castum timorem Dei), Cav. p. 733, cf. Dict. Th. Cath. I, 44.

b) Manichaeorum errores de illicito matrimonio et esu carnium renovantur a Waldensibus et Albigensibus. Contra vide *Professionem fidei imposita Waldensibus* ab Innocentio III (1208), et *Concilium Lateranense* IV (cap. *Firmiter,* 1215) DB. 424-5, 430, Cav. 1354. — Iterum simili errori opponitur *Conc. Florentinum, Decr. pro Iacobitis* (1441), DB. 713, Cav. 614.

87. *c*) Amalricus de Bena († 1208), ex ideis pantheisticis deducebat hominem iam beatum, impeccabilem, perfecte Deo unitum eoque fruentem, inutilia omnia exteriora etc.: errores sectatorum eius Parisiis damnati 1210, Denifle-Chat. *Chartularium Univ. Paris,* I, n. 12; similes errores profitentur Fratres de libero spiritu (in *Anonymo Passaviensi* anni 1260, 97 eorum errores, apud Preger, *Deutsche Mystik in M. A.* I, 461, forte ab Alberto Magno collecti; eodem loco errores Ortlibianorum sat similes, Préger I, 191); iterum propositi a Beghardis damnantur in *Concilio Viennensi* (1311), cuius decretum DB. 471-78, Cav. 865, 401, 1457, cf. p. 736. Cf. D. Th. Cath. II, 528 et de his omnibus Dœllinger, *Sekten, geschichte des M. A.,* 1889.

d) Eckardi post eius mortem (1327) damnati sunt a Ioanne XXII (1329) articuli 26 + 2 (exaggerata resignatio, inutilitas actuum exteriorum...) DB. 501-29, Cav. p. 737, de quibus cf. D. Th. C. IV, 2057, et Théry OP. in Vie Spirituelle, Suppl. 1925-26.

88. *e*) Errorem de tribus aetatibus mundi (Patris in V. T., Filii in N. T., Spiritus S. ultimis his temporibus, in spiritualibus hominibus se manifestantis), etiam apud Amalricum iam antea proposuit et evolvit Ioachim abbas Florensis († 1202), in scriptis *Concordia N. et V. Testamenti, Expositio Apocalypsis, Psalterium X cordarum;* intellectus spiritualis ille Scripturae, a Sp. S. immissus, erat *Evangelium aeternum;* quod nomen etiam postea datum est tribus his Ioachim praecipuis scriptis quae exponit Gerardus a Borgo S. Donnino, cuius *Introductorius in Evangelium aeternum* damnatus est ab Alexandro IV, 1255, apud Denifle, *Chart.* I, 247 et 277 (ibid.

n. 243 errores delati ad pontificem, et magis exacte in Actis Commissionis Pontificiae Ananiensis, in ARCHIV, I, 97-142, Cf. JORDAN, D. TH. C. VIII, 1426 ss.

« *Spirituales* » in Ordine Minorum plures ideis Ioachimitarum plus minus imbuti sunt easque cum propriis doctrinis de absoluta paupertate coniunxerunt. — Hinc apud aliquos « FRATICELLOS » dictos, errores damnati a Iohanne XXII (1317, DB. 484-90, CAV. p. 737); hinc etiam controversiae de interpretatione Regulae S. Francisci et de paupertate Christi, ad quas dirimendas prodierunt plures bullae Nicolai III, *Exiit* (1279), Clementis V, *Exivi* (1311-12), Iohannis XXII, *Cum inter* (1323, DB. 494, CAV. 779, et aliae antea, in *Corp. Iuris,* Extrav. Ioh. XXII, 14, cf. Sext. V, 11, 3). Cf. EHRLE, ARCHIV, II-IV. — Iterum errores de paupertate et perfectione damnati ab Urbano V in D. FOULLECHAT, 1368, DB. 575, CAV. 780.

89. *e*) Controversiae exortae c. 1254 inter mendicantes religiosos et aliquos magistros Universitatis Parisiensis circa priorum formam vivendi: GULIELMUS DE SANCTO AMORE praecipuus mendicantium impugnator (*de Periculis novissimorum temporum,* ed. 1632 cum aliis eius operibus, cf. BIERBAUM, *Bettelorden und Weltgeistlichkeit,* 1920, ubi varia documenta), damnatus est ab Alexandro IV, 1256, CAV. 414-415 (propositiones in DB. 449-59 non sunt desumptae ex authentico documento) cf. DENIFLE, *Chart.* I, n. 288 ss.

Renovantur impugnationes contra vitam religiosam et praecipue contra mendicantes a Iohanne WICLEFF († 1384) qui damnatus est in *synodo Londinensi* (24 propositiones, anno 1382, Mansi, t. 26, 697, 700) et dein in *Constantiensi concilio* (1415, confirmat. a Martino V, 1418) praesertim prop. 20, 24, 31, 34-35, 44-45, DB. 600 ss., CAV. 416.

In eodem concilio Constantiensi damnatae sunt etiam propositiones MATTHAEI GRABOW, impugnantes vitam communem sine votis (contra FF. Vitae Communis), MANSI, 28, 389, et GERSON, *Opera,* I, 467; II, 669 (*ibid.* II, 654, aliae propositiones erroneae anonymae de oratione privata). — In eodem etiam Concilio iterum damnati errores FLAGELLANTIUM (MANSI, 28, 381 et DU PLESSIS D'ARGENTRÉ, I, 366, mense iulio 1417) contra quos iam ediderat epistulam Clemens VI anno 1349 (BARONIUS, a. 1349, n. 19-20 et DU PLES., *ibid.*).

D) Aetas moderna (XVI-XVIII saec.).

90. 1) Florent semper magnae scholae spirituales aevi praecedentis, praeter scholam « devotionis modernae » quae, ab ineunte saec. XVI, nullum iam profert scriptorem alicuius momenti, licet magnus sit eius influxus per antiquiora scripta, per librum praesertim *de Imitatione Christi*, et multum ei debeant recentiores scholae.

91. *a*) **Benedictini:**

Antiquam traditionem spiritualem monasticam transmittunt, plura simul desumendo ex mysticis Medii aevi: Ioannes Trithemius († 1516), *de Triplici regione claustralium,...* (*Opera pia et spiritualia,* ed. Busaeus, 1605). — Praecipue vero * Ludovicus Blosius (1506-1566) abbas Laetiensis (Liessies): *Paradisus animae fidelis*, *Sacellum animae, Conclave animae, Margaritum spirituale*, praesertim *Institutio vitae spiritualis* (*Opera omnia,* 1632 et saepe, sive simul, sive separatim).

Benedictus Haeften (1588-1648), prius ex Congr. Bursfeld, dein conditor Cong. Belgicae B. M. V. Praesentatae: *S. Benedictus illustratus sive Disquisitionum monast. lib. XII* (1644); *Venatio sacra sive de arte quaerendi Deum; Schola cordis; Via regia crucis...*

* Augustinus Baker (1575-1641): *Sancta Sophia* (ex eius scriptis a D. Cressy collectum, 1657, reed. 1876, adapt. a D. Weld-Blundell, *Contemplative prayer,* 1906); *Confessions,* autobiographia ed. Mc. Cann, 1922; *The inner life of Dame Gertrude More* († 1631, ed. W. Blundell, 1910; huius monialis benedictinae operum editio, a Baker eius directore parata, prodiit 1658, duobus voluminibus; partiales reed. modernae); multa adhuc inedita.

Apud Mauristas, praeter scripta D. Laurentii Bénard († 1620) et aliorum de Regula, praecipue nominandi sunt: D. Claudius Martin († 1696) *Pratique de la Règle de S. Benoît; Méditations* (et insuper Vita matris suae Ven. Mariae ab Incarnatione, cf. infra); eius vitam scripsit D. Martène († 1739), 1697; D. Mège († 1691) *Explication des Psaumes,* 1675; D. Morel, *Effusion de cœur ou entretien spirituel... sur chaque verset des Psaumes,* 1731, 4 vol.

Subsidia in studium theol. ascet. ediderunt Lucas D'ACHERY († 1685), *Asceticorum... indiculus,* 1648 (2 ed. 1671) et Bernardus PEZ († 1735), *Bibliotheca ascetica,* 12 vol., 1732-40 (collectio textuum).

92. Armandus DE RANCÉ († 1700), reformator Cisterciensium (Trappistae): *de la Sainteté et des devoirs de la vie monastique,* 1683; *Réponse au Traité des Etudes monastiques,* 1692 (contra *Tractatum* anno 1691 a MABILLON editum qui ipsi videbatur nimium tribuere locum studiis litterariis in vita monastica; cui Mabillon opposuit *Réflexions sur la réponse...* 1692).

* Ioannes Cardin. BONA (1609-1674), Cisterc. reform. Feuillant: *de Divina Psalmodia; Via compendii ad Deum per motus anagogicos et preces iaculatorias,* 1656; *de Discretione spirituum,* 1671; *Manuductio ad caelum; Horologium asceticum.* Eius est etiam (cf. VATTASSO, Introductio in Bona, *Hortus caelestium deliciarum,* 1918, p. LXI) *Cursus vitae spiritualis,* editus 1674 et iterum 1905, sub nomine C. MOROTII, Cisterc.

93. *b*) **Carthusiani:**

Laurentius SURIUS († 1578): multa scripta mystica latine vulgavit; Vitae Sanctorum de quibus infra.

Antonius de MOLINA († 1619), *Instrucción de los Sacerdotes; Exercicios espirituales, de las excelencias, provecho y necesidad de la oración mental,* Burgos, 1615.

Innocentius LE MASSON († 1703): *Direction pour se former avec ordre et tranquillité au saint exercice de l'oraison mentale,* 1695; *de Disciplina ordinis Carthusiensis; Enchiridion salutis operandae,* 1693; *Epistulae* et Monita (partim reed. Monstrolii).

94. *c*) **Dominicani:**

Baptista CARIONI A CREMA († 1534), *Via di aperta verità; Specchio interiore; Della cognitione e vitoria di se stesso,* 1531; quod ultimum opus postea fuit hispanice aptatum a Melch. CANO († 1560).

* LUDOVICUS GRANATENSIS (1505-1588): *Libro de la oración y meditación,* 1553; *Guia de pecadores,* 1556; *Memorial de la vida christiana,* cum supplemento, *Adiciones al Memorial... Vitae* B. Ioannis ab Avila et Ven. Bartholomaei a Martyribus; translationes Climaci, Libri de Imitatione Christi. Operum editio crit. a P. CUERVO, Madrid, hucusque 14 vol. —

* Bartholomaeus a Martyribus (1514-1590) archepiscopus Bracarensis, *Compendium spiritualis doctrinae,* 1582 et saepe; *Stimulus pastorum,* 1564.

95. Ignatius del Nente († 1648), *Della Tranquillità dell'animo nel lume della natura, della fede, della sapienza e del divino amore,* 1642; *Vita, costumi ed intelligenze spirituali della Ven. M. Suor Domenica del Paradiso* (O. S. Domin. † 1553), scripta 1624, edita 1662. — Nicolaus Ridolfi († 1650), Brevis methodus orationis mentalis, 1642, reed.

Ludovicus Chardon, *La Croix de Jésus où les plus belles vérités de la vie mystique et de la grâce sanctifiante sont établies,* 1647; *Raccourci de l'art de méditer,* 1649.

Dominicus Gravina († 1643), *Lapis lydius, ad discernendas veras revelationes a falsis,* 1638. — * Ioannes a S. Thoma († 1644), commentando *Summam* S. Thomae, late evolvit quae pertinent ad vitam spiritualem, speciatim de Donis Spiritus Sancti, in I-II q. 68. — Thomas a Vallgornerâ († 1675), *Mystica theologia Divi Thomae,* 1662, reed. 1890, in qua colligit et ordinat textus S. Thomae. — Vincentius Contenson (1641-1674). *Theologia mentis et cordis,* 9 vol. quorum ultimum posthumum edit. a Massoulié.

* Antonius Massoulié († 1706), *Traité de la véritable oraison,* 1699; *Traité de l'amour de Dieu,* 1703 (contra quietismum et semiquietismum); *Méditations de S. Thomas sur les trois voies.* — Antonius Chesnois († 1685), *Idée du Christianisme ou conduite de la grâce sanctifiante,* 3 vol. 1672-84. — Alex. Piny († 1709), multa opuscula, quorum plura recenter iterum edita et translata: *Etat du pur amour; Clef du pur amour; Trois différentes manières pour se rendre Dieu intérieurement présent; Vie cachée.* — J. B. Rousseau, *Avis sur les divers états d'oraison,* 1710. — Seraphinus Brienza, *S. Tommaso spiritual direttore, ovvero trattato della rinnegazione di noi,* 1752.

Hic etiam memorandus * Ludovicus Bail († 1669) sacerdos saecularis, *La théologie affective de S. Thomas,* 4 vol. Paris, 1654 et saepe.

96. *d*) **Franciscani**, saec. XVI et XVII, abundantissimam praebent segetem scriptorum spiritualium quorum praecipui videntur:

Antonius de Monelia, *Comment. in Ps. Dionysium*, Bononiae 1522; *Sursum Corda* seu *Directorium inflammandi mentem*, 1522; Matthaeus Silvaggi a Catania, *de Nuptiis animae cum Christo*, 1542; Ioannes a Fano, *l'Arte d'unirsi con Dio*, 1536.

* Alphonsus a Madrid, *Arte de servir a Dios*, 1526, reed. cum Osuna cf. infra; Bernardinus de Laredo, laicus, *Subida del Monte Sion*, 1535; * Franciscus de Osuna († c. 1540), *Primer, Secundo* et *Tercer Abecedario espiritual*, 1525-30 (tertius fuit in usu S. Teresiae, *Vida*, c. 4; nova ed. 1910, in Bibliot. de Autores españoles, Madrid, XVI); *Ley de amor*, 1520, *Sermones*. — Antonius de Guevara († 1544), *Monte Calvario, Oratorio de religiosos;* Gabriel de Toro, *Teulugia mistica*, 1548.

* S. Petrus de Alcantara (1499-1562), *Tratado de la oración y contemplación*, c. 1556, in compendium redigens Librum Ludovici Granatensis paulo ante editum (cf. Ubald d'Alençon, Etudes Franciscaines, 1923, 198; Dudon, R. A. M. 1921, 384, post P. Cuervo).

97. Ioannes de Bonilla, *Tratado de la paz del alma*, 1580; Ioannes ab Angelis († 1609), *Triunfos del amor de Dios*, 1589, *Conquista del reino de Dios*, 1595, comment. *in Cantica*, etc. (nova ed. a P. Sala, Bibliot. de aut. Españoles, XX, XXIV, Madrid, 1912-1917). — Didacus de Stella, *Desprecio del mundo*, 1572, *Amor de Dios*, 1582 (reed. 1847). — Didacus Murillo (1555-1616), *Instrucción para los principiantes y Escala espiritual*, 1598 (ed. Sala, 1907).

* Benedictus a Canfeld († 1611), *Regula perfectionis*, prius anglice, dein latine, 1610 (in Indicem relatum 1689); Matthias Bellintani a Salo († 1611), *Pratica dell'orazione mentale;* Alexius Segala a Salo († 1628), *Regole di saper ben meditare, Corona celeste* (meditationes in singulos anni dies) etc. (*Opere spirituali*, 1643...). — Bartholomaeus a Salutiis († 1617), *Luce dell'anima*, etc. — Thomas a Bergamo († 1631, *Fuoco d'amore*, ed. 1681) et B. Carolus a Sezze († 1670, *Trattato delle tre vie, Camino interno*), uterque laicus Capucinus.

Ioannes Evangelista Buscoducensis, *Het Ryck Godts in der zielen*, 1639 (Regnum Dei in animabus). — Constan-

TINUS A BARBANSON, *Secrets sentiers de l'amour Divin,* 1622; Bonifatius MAES, *Theologia mystica seu spiritualis*, 1669 (flandrice et latine).

IOSEPHUS DU TREMBLAY († 1638), *Introduction à la vie spirituelle par une méthode facile d'Oraison,* 1626, reed. 1897. — IVO A PARISIIS, *Progrès de l'amour divin,* 1642; *les Miséricordes de Dieu,* 1645. — VICTOR GELEN, *Summa practica theologiae mysticae*, Coloniae 1646. — Franciscus BONAL, *Le Chrétien du temps,* 1655; * PETRUS PICTAVIENSIS, *Le jour mystique,* 3 vol. 1671; LUDOVICUS D'ARGENTAN († 1680), *Conférences sur les grandeurs de Dieu, Exercices du chrétien intérieur;* MAXIMILIANUS A BERNEZAY, *Traité de la vie intérieure*, 1687.

98. * Cardin. BRANCATUS DE LAUREA († 1693), *de Oratione christiana,* 1685, reed. Monstrolii, 1896. — Antonius CHAGAS († 1682), *Escola de penitencia; Obras espirituales; Epistulae.* — Fulgentius BOTTENS, *Iudicium Pacifici Salomonis super controversiis olim et nostris maxime temporibus agitatis inter sectatores theologiae mysticae... eorumque adversarios...* Gandavi, 1714. — DIDACUS A MATRE DEI, *Ars mystica,* 1713. — Liborius TEMPESTI, *Mistica Teologia,* 1747. — BERNARDUS A CASTELVETERE, *Direttorio mistico,* 1774. — AMBROSIUS A LOMBEZ († 1778), *Traité de la Paix intérieure,* 1757 et saepe; *Lettres spirituelles* (Œuvres complètes, 3 vol. Paris, 1881-82).

99. 2) Ex variis religiosis familiis antiquis et novis, et ex Clero saeculari:

a) **In Hispania et Portugallia:**

Augustiniani: B. ALPHONSUS DE OROZCO (1500-1591), *Vergel de Oración y Monte de contemplación,* 1544; *Vitoria del mundo,* 1570 etc. — * THOMAS A IESU (1529-1532), *Trabalhos de Jesus* (in captivitate mahumetanorum scriptum, et edit. 1602). — * LUDOVICUS DE LEÓN († 1591), *Nombres de Christo; la Perfecta casada.*

Hector PINTO († 1584) Ord. S. Hieron., *Imagem da vida cristâ.*

Trinitarii discalceati: * B. IOANNES BAPTISTA A CONCEPTIONE († 1613), reformator ordinis, *Obras,* Romae, 1830, praesertim t. I-III *Obras asceticas, Exhortaciones;* IV, tractatus mystici. — S. MICHAEL A SANCTIS († 1625), *Breve tratado de*

la tranquilidad del alma, reed. 1915, cf. eius *Vita* a Ioseph a Iesu-Maria, 1688. — Raphael a S. Ioanne, *Camino real de la Perfección christiana,* 1691.

* B. Ioannes ab Avila (c. 1500-1569), magnus director animarum et Cleri apostolus: *Audi Filia,* 1556; *Tratados XXVII de SS. Sacramento; Cartas espirituales...* (*Obras,* Madrid, 1901, 4 vol.).

100. *b*) **In Italia:**

S. Antonius M. Zaccaria (1502-1539), fundator Clericorum reg. a. S. Paulo (Barnabitae), *Detti notabili,* ed. 1583.

Seraphinus a Fermo (1540), Canon. reg. Lateran. *Opere spirituali* (praes. ed. 1587), *de oratione, de discretione, Problemata* C.

Laurentius Scupoli († 1610), Theatinus: * *Il Combattimento spirituale,* 1589 et saepissime cum variis adiunctis (opusculum *De' Dolori mentali di Cristo* est B. Baptistae Varani † 1527, OSF).

* S. Philippus Neri (1515-1595), fundator Oratorii, *Lettere, rime e detti memorabili,* ed. Florentiae, 1922; eius *Vitae* a discipulis in AA. SS. maii VI. — Inter eius filios, Bonsignore Cacciaguerra († 1566), *Trattato della SS. Comunione,* 1557; *della Tribolazione,* 1559; *Meditazioni; Dialogo spirituale...*; in Portugallia Manuel Bernardes († 1710), *Luz e Calor; Exercicios Espirituaes; Paraiso dos contemplativos...*

101. *c*) **In Neerlandia et Germania:**

Nicolaus Eschius (van Esch, † 1578), *Templum animae* (cum introduct. *Isagoge ad vitam introversam*); *Exercitia theologiae mysticae,* 1563, ubi plerumque apparet ut discipulus Harphii.

Bartholomaeus Holzhauser (1613-1658), propagator vitae communis inter sacerdotes saeculares Germaniae: *de Humilitate,* 1663; *Constitutiones cum exercitiis clericorum,* 1662; *Synopsis instituti,* 1688 (reed. Gaduel, *Opuscula,* Orléans, 1861); scripta in Apocalypsim et Visiones, 1784.

102. 3) Tres hac aetate oriuntur praecipuae *novae scholae spirituales:* Societatis Iesu, Carmelitanorum excalceatorum et quae dicitur « schola gallica » saeculi XVII.

a) **Societas Iesu:**

** S. Ignatius Loyola (c. 1491-95, † 1556), *Exercitia spiritualia* (ea tradebat Compluti iam 1526, prima editio latine, Romae 1548, cum approbatione Pauli III; textus hispanicus Romae 1615; versio litteralis P. Roothaan, 1835; ed. critica, Madrid, 1919, cum annexis documentis, speciatim cum *Directorio* P. Cl. Acquaviva, 1599); *Constitutiones Soc. Iesu, Epistulae, Autobiographia* et fragm. diarii spir. (Monum. Hist. S. I., *Mon. Ignatiana,* Madrid, 1903 ss.).

Inter eius primos discipulos: S. Franciscus Xaverius († 1552), *Epistulae et Instructiones* ad missionarios (ed. Mon. Hist. S. I., 1899). — B. Petrus Faber (Le Fèvre, † 1546), *Memoriale* (ed. ibid. 1914); S. Franciscus Borgia (1510-1572), *Meditaciones* (ed. Cervós, 1912, cum secunda parte ed. March, 1925), *Diarium spirituale* (1564-70, ed. Mon Hist., *Borgia,* V, 1911, p. 729-887), alia opuscula, ed. latine 1675, Bruxellis.

Exercitia Spiritualia commentati sunt: Achilles Gagliardi († 1607), edit. Brugis 1882; Ludovicus de la Palma († 1641), *Camino espiritual de la manera que lo enseña S. Ignacio,* 1626, reed. Nonell Barcelona, 1887 (eiusdem etiam *Historia Passionis Dominicae*); Thomas Masucci, *de Caelesti conversatione per internam orationem et exercitia spiritus,* 1622 (explicat methodum orandi); Claudius Judde († 1735), *Œuvres spirituelles,* reed. 1845; Ignatius Diertins († 1700), *Sensus exercitiorum* (1687, et saepe variis titulis), *Historia Exercitiorum,* 1700 et 1887, Lille; Ioannes Petitdidier († 1756), *Exercitia,* 1755, Ioannes reed. Paris, 1889.

103. Tractatus varios conscribunt: Franciscus Arias († 1605), *Imitación de Nuestra Senora,* 1588 (it. 1888); *Imitación de Christo,* 1591 (it. 1884, 5 vol.); *Aprovechamiento espiritual,* 1593. — * Alphonsus Rodriguez († 1616), *Exercicio de perfección y virtudes christianas,* 1609. — * Ludovicus de la Puente (a Ponte, † 1624), *Meditaciones,* 1605; *Guia espiritual,* 1609; *De la perfección del Christiano en todos sus estados,* 1612; *Vida del P. Balthasar Alvarez,* 1615, reed. Madrid, 1920; *Expositio moralis et mystica in Canticum,* 1622.

Tractatus generales modo magis speculativo et systematico: Bernardinus Rossignolus, *de Disciplina christianae perfectionis*

pro triplici hominum statu, 1600. — * Franciscus Suarez († 1617), *de Virtute et statu religionis* (I-II, 1608-9; III-IV, 1623-25). — * Iacobus Alvarez de Paz († 1620), *de Vita spirituali eiusque perfectione,* 1608; *de Exterminatione mali et promotione boni,* 1613; *de Inquisitione pacis,* 1617, reed. 1875. — Antonius Le Gaudier († 1622): *de Natura et Statibus perfectionis,* 1643, reed. Torino, 1903. — Maximilianus Sandaeus († 1656), *Theologia mystica,* 1627; *Clavis seu onomasticon elucidarium vocabulorum mysticorum,* 1640. — Michael Godinez († 1644), *Practica de la theologia mistica,* ed. 1681 (reed. latine, Paris, 1920), quem tractatum postea amplissimis scholiis et quaestionibus auxit * Emmanuel de la Reguera (Romae, 1740-45); quae commentaria iterum in formam tractatus manualis redegit Dominicus Schram OSB.: *Institutiones theologiae mysticae,* 1774 et saepe.

Series opusculorum: B. Robertus Bellarminus (1542-1621), *de Ascensione mentis ad Deum,* 1614; *de Gemitu columbae sive de bono lacrymarum,* 1617; *de Arte bene moriendi,* 1620. — * Nicolaus Lancicius († 1652), *Opuscula XXI,* 1650, partim iterum Cracoviae, 1883 ss. — Iulius Nigronius († 1625) *tractatus ascetici.* — Eusebius Nieremberg († 1658), *Aprecio y estima de la divina gracia,* 1638; *Doctrinae asceticae,* 1643. -- Etiam Gaspar Druzbicki († 1662), Hieremias Drexelius († 1638), Ioannes Dirckinck († 1716).

104. In Gallia: * Ludovicus Lallemant († 1635), *Doctrine spirituelle,* collecta ab eius discipulo Ioanne Rigoleuc († 1662, *Vie et traités spirituels,* 1685) et postea edita 1694, reed. Pottier, 1924. — Iulianus Hayneufve († 1663), *Méditations,* 1654; *Réponses aux questions de la vie spirituelle,* 2 vol., 1663-65. — Ioannes Surin († 1665), *Catéchisme spirituel,* 1657-59 (in Indicem relatus 1695); *Fondements de la vie spirituelle,* 1674; *De l'amour de Dieu; Lettres spirituelles,* ed. crit., t. I, Toulouse, 1926. — Ioannes-B. de Saint-Jure († 1657), *De la Connaissance et de l'amour du Fils de Dieu,* 1634; *le Livre des élus,* 1643; *l'Union avec N. S. J.-C.,* 1653; *l'Homme religieux,* 1657; *l'Homme spirituel,* 1685. — Iacobus Nouet († 1680), *l'Homme d'Oraison,* 1674. — Franciscus Guillore († 1684), *Maximes spirituelles,* 1668; *les Secrets de la vie spirituelle qui en découvrent les illusions,* 1673, reed. Paris, 1922; *Manière de conduire les âmes,* 1675; *Progrès de la vie spirituelle selon les différents états de l'âme,* 1675 (Œuvres,

1684). Cf. H. Bremond, *Hist. du Sentiment religieux en France,* t. 5, 1920.

Petrus Caussade († 1751), *Instructions spirituelles sur les divers états d'oraison,* ed. Antoine, 1741; *l'Abandon à la Providence,* reed. Ramière cum *Epistulis,* Paris, 1875. — * Nicolaus Grou (1731-1803), *Caractères de la vraie dévotion,* 1778; *Maximes spirituelles,* 1789; *Méditations sur l'amour de Dieu,* 1796; *Manuel des âmes intérieures,* 1803; *Intérieur de Jésus et de Marie,* 1815.

105. Paulus Segneri († 1694), *Concordia tra la fatica e la quiete nell'orazione,* 1680 (contra Molinos, contra quem etiam: *Sette principii,* et *Fascetto di vari dubii,* 1682); *Manna dell'anima,* 1673. — Eius discipulus Ioannes Pinamonti († 1703), *Opere spirituali,* 1706 et saepe. — Ioannes-B. Scaramelli (1687-1752), *Discernimento degli spiriti,* 1753; *Direttorio mistico,* 1754; *Direttorio Ascetico,* 1754.

* S. Alphonsus Rodriguez (1531-1617), coadiutor laicus, *Autobiographia* et varia scripta mystica (*Obras espirituales,* ed. Nonell, Barcelona, 3 vol., 1885). — Claudius de la Colombière († 1682), *Journal des retraites* (1684, iterum separatim et in *Œuvres,* 6 vol., 1900-1902).

b) **Carmelitani discalceati:**

106. ** S. Teresia a Iesu (1515-1582), reformatrix Carmeli (Avila, 1562; Duruelo, 1568): scripsit *Vida,* 1565; *Camino de la perfección* (prior redactio, autogr. Escorial, 1565 (?), altera, autogr. Valladolid, 1569-70); *Exclamaciones del alma a Dios,* 1569 (?); *Conceptos del amor de Dios,* 1571-73; *Fundaciones* (c. 1-27, 1573-76; c. 28-31, 1580-82); *Relaciones* ad P. Alvarez, 1576; *Castillo interior,* seu *Moradas,* 1577; insuper *Constitutiones, Epistulae,* poemata. Solum *Camino* ut ederetur ipsa vivente paratus est, et prodiit 1583; primam editionem operum curavit Luis de Leon, 1588; editio critica a P. Silverio, Burgos, 6 vol., 1915-20, quibus iam accedunt *Epistula,* 3 vol., 1926, ed. minor, 1 vol., 1922.
— *Vitae* a Ribera, Yepes, cf. AA. SS. octobr. VII.

** S. Ioannes a Cruce (1542-1591), *Subida del Monte Carmelo* et *Noche oscura,* 1578-83; *Cantico espiritual* (ipsum *Canticum* scriptum est in carcere Toletano, 1577-78, commentarium vero postea, 1584); *Llama de amor viva,* 1584 (omnia haec scripta per modum commentariorum in poemata spiritualia, duo priora

tamen modo magis didactico). Insuper *Avisos y Sentencias, Cautelas,* fragmenta epistolarum. Quae opera tantum post eius mortem, primo 1618 edita sunt; edit. crit. a P. Gerardo, Toledo, 1912-14, 3 vol. (ed. minor 1 vol., 1926), adhuc imperfecta (pro *Cantico* et pro *Llama* habetur duplex redactio, brevior certo authentica, de longiori controvertitur).

107. Doctrinam utriusque sancti reformatoris late evolvit florens schola theologiae mysticae, tum practicae, tum speculativae, quae accurate exposuit omnes quaestiones ad contemplationem spectantes; ex qua, praeter multas Vitas et relationes spirituales de quibus infra, praecipue nominandi videntur:

Hieronymus a Matre Dei (Gratianus), 1545-1614, unus ex primis sociis S. Ioannis et discipulus S. Teresiae; *Elucidatio veri spiritus* (S. Teresiae), 1604; *Theologia mystica,* 1609; *de Spiritu devotionis et oratione,* 1609.

Ioannes a Iesu Maria Aravalles (1549-1609), *Instrucción de Novicios,* 1591 (reed. Toledo, 1925); *Tratado de Oración,* ed. Toledo, 1926.

* Ioannes a Iesu Maria (1564-1615), tertius generalis Praepositus, *Instructio novitiorum,* 1605; *Instructio magistri novitiorum,* 1608; *Schola orationis, contemplationis,* 1611; *Theologia mystica,* reed. Herder, 1911 (*Opera omnia,* Florentiae, 1771, et alibi).

* Thomas a Iesu (1564-1627), *Suma y compendio de los grados de la oración, sacado de las obras que compuso la S. Madre Teresa,* 1610; *Tratado de la oración mental,* 1610 (utrumque Avila, 1898); *de Contemplatione divina libri VI,* 1620; *Divinae orationis a Deo infusae methodus, natura et gradus, libri IV,* 1623; *de Contemplatione acquisita,* Milano, 1922 (*Opera omnia,* 1684).

Iosephus a Iesu Maria († 1629), *Subida del alma a Dios,* 1656; *Don que tuvo S. Juan de la Cruz para guiar las almas a Dios* (in ed. S. Ioannis, Toledo, 1914, t. III), et alia plura inedita.

Dominicus a Iesu Maria (1559-1630), praep. gener. V, *Sentenciario spirituale,* 1622 (cf. eius *Vita* a Philippo a SS. Trin., 1659).

108. In aetate sequenti ordinis eminent: Nicolaus a Iesu Maria († 1660), *Elucidatio theologica circa aliquas phrases et propositiones theologiae mysticae in particulari Ven. P. N. Ioannis a Cruce,* 1631. — Iosephus a Spiritu Sancto (Lusitanus, † 1674),

Cadena mystica, 1678; *Enucleatio Theologiae mysticae S. Dionysii Areopagitae* (edit. post opera Thomae a Iesu, 1684, t. II). — * Philippus a SS. Trinitate († 1671), *Summa theologiae mysticae*, 1656, reed. 1875; quam secutus est saepe ad verbum in suo *Directorio mystico*, 1677, reed. 1904, Antonius a Spiritu Sancto († 1674 vel 1677). — Cyprianus a Nativitate († 1680), *Traité de l'oraison mentale*, 1650. — Balthasar a S. Catharina Senensi († 1673), *Splendori riflessi di Sapienza celeste*, 1671 (commentarium in *Castellum* S. Teresiae). — Eodem tempore *Salmanticenses* Theologi (1631-1678) in suo celebri *Cursu* commentantur I-II et II-II Sancti Thomae, plura proponentes circa vitam spiritualem.

109. Post damnatum quietismum scribunt: * Honoratus a S. Maria († 1729), *Tradition des Pères et des auteurs ecclésiastiques sur la contemplation*, 2 vol., 1708 (contra quietismum), *Motifs et pratique de l'amour divin*, 1713. — Franciscus a S. Thoma († 1707), *Medula mistica*, 1691. — Antonius ab Annuntiatione († 1714), *Disceptatio mystica de oratione et contemplatione*, 1683; *Quodlibeta theologica, mystica et moralia*, 1712. — Dositheus a S. Alexio, *Vie de S. Jean de la Croix*, cum dissertationibus de operibus et doctrina eius in t. II, 1727. — * Iosephus a Spiritu Sancto († 1739), *Cursus théologiae mystico-scholasticae*, 6 vol., 1710-1740, in quo collegit integram traditionem scholae carmelitanae saeculi XVII, quem tamen perficere non potuit. Nova editio Brugis, t. I-II, 1924-26.

110. Ad familiam Carmelitanam antiquioris observantiae pertinent: * Ioannes a S. Samsone († 1636), laicus, insignis mysticus, *Œuvres spirituelles*, 2 vol., 1658, paratur nova editio (cf. interim *Vie Spirituelle*, 1925-26). — Eius discipulus Leo a S. Ioanne (1600-1671), *Théologie mystique*, 1654; *Conduite générale de la théologie mystique*, 1656. — Ioannes Chéron, *Examen de la Théologie mystique*, 1657 (videtur contra praecedentes).

c) « Schola gallica » saeculi XVII

111. Sensu lato huic scholae pertinent, praeter Lallemant aliosque iesuitas, variosque ex aliis ordinibus scriptores:

** S. Franciscus Salesius (1567-1622), *Introduction à la vie dévote* (Philothea), 1608; *Traité de l'amour de Dieu* (Theotimus), 1616; *Entretiens spirituels*, 1629 (textus authenticus in ed. crit.)

Lettres spirituelles, prima ed. 1632. Editio critica: *Œuvres complètes,* Annecy, 1892 ss. (hucusque 22 vol.). — Eius amicus et discipulus Petrus Camus collegit *L'esprit de S. François de Sales,* 1641. Licet maximus fuerit influxus S. Francisci Salesii in scriptores spirituales posteriores, schola tamen salesiana non extitit nisi saeculo XIX. — Cf. Vincent, *S. Fr. de Sales directeur d'âmes,* 1923.

112. * S. Vincentius a Paulo (1576-1660), institutor Societatis presbyterorum a Missione et Filiarum caritatis, idemque strenuus Cleri apostolus. Opera omnia ed. Costes, Paris, 1920-25: *Correspondance,* t. I-VIII; *Entretiens,* IX-XII, cf. t. XIV, Tables. — Alius sanctitatis sacerdotalis promotor fuit Adrianus Bourdoise (1584-1665) cf. eius vitam (1714) cum aliquibus eius scriptis *Sentences chrétiennes et ecclésiastiques* (iam ed. 1658); et *Méditations sur les principales vérités chrétiennes et ecclésiastiques* ab eius discipulo Matthaeo Beuvelet conscriptae, 1653.

113. Sensu tamen strictiori vocatur « schola gallica » ea cuius caput fuit * Cardinalis Petrus de Bérulle (1575-1629), *Discours de l'estat et des grandeurs de Jésus,* 1623; *Traité de l'abnégation,* et multa opuscula, instructiones et epistulae (*Œuvres complètes,* ed. Bourgoing, 1644, reed. Migne, 1856). — Eius successores in gubernanda societate Oratorii ab eo instituta: * Carolus de Condren (1588-1641), *L'idée du sacerdoce et du sacrifice; Discours et Lettres* (post eius mortem, 1643, iterum 1857); et Franciscus Bourgoing (1585-1662), *Vérités et excellences de J.-C. disposées en méditations,* reed. 1892. Cf. H. Bremond, *Hist. du Sentiment religieux en France,* t. 3, 1921.

114. Eius etiam discipuli fuerunt institutores plurium familiarum sacerdotalium et religiosarum:

* Ioannes-I. Olier (1608-1657) institutor Soc. S. Sulpitii, *Catéchisme chrétien pour la vie intérieure,* 1656; *Introduction à la vie et aux vertus chrétiennes,* 1647; *Traité de SS. Ordres,* 1676; *Journée chrétienne, Lettres* etc. (*Œuvres,* ed. Migne, 1856; inter eius opera habetur *Esprit d'un directeur des âmes* in quo eius discipulus D. de Bretonvilliers collegit eius doctrinam spiritualem; cf. etiam Letourneau, *Pensées choisies de M. Olier,* Paris, 1922). — Ex eadem Societate: J. Blanlo († 1657), *L'enfance*

chrétienne, reed. Paris. — Ludovicus Tronson (1622-1700), *Forma cleri, Examens particuliers, Traité de l'obéissance, Manuel du séminariste* (*Œuvres*, ed. Migne, 2 vol., 1857). — Carolus de Lantages, *Catéchisme de la foi et des mœurs chrétiennes*, 1692 (*Œuvres*, ed. Migne, 1857). — Ioachim de la Chétardye († 1714), *Entretiens ecclésiastiques* (*Œuvres*, ed. Migne, 1857).

115. * S. Ioannes Eudes (1601-1680), institutor Congreg. Iesu et Mariae et promotor cultus liturgici SS. Cordium Iesu et Mariae: *La vie et le royaume de Jésus dans les âmes chrétiennes*, 1637; *La Dévotion au T. S. Cœur et au T. S. Nom de la B. V. Marie*, 1648; *Le Cœur admirable de la Mère de Dieu*, 1681, etc. (*Œuvres*, ed. Boulay, 12 vol., Paris, 1905 ss.).

* B. Ludovicus Grignion de Montfort (1673-1716) conditor Societatis Mariae: *Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge*, 1712, ed. 1842; *Lettre circulaire aux amis de la Croix*, 1845.

S. Ioannes-Baptista de la Salle (1651-1719), conditor FF. Scholarum Christianarum, *Explication de la méthode d'Oraison*; *Méditations*; varii breves tractatus.

116. Huic etiam scholae pertinent: Ioannes de Bernières († 1659), laicus: *Le Chrétien intérieur*, 1659; *Œuvres spirituelles*, 1670; *Règle des associés de l'enfance de Jésus* (omnia post eius mortem a P. Ludov. d'Argentan edita, postea propter quaedam quietismo faventia in Indicem relata, 1690). — * Henricus Boudon (1624-1702), *Le règne de Dieu dans l'oraison mentale*, 1671; *la Vie cachée avec Jésus en Dieu*; *Dévotion à la T. S. Trinité*; *Dieu seul ou le saint esclavage de l'admirable Mère de Dieu... Vie du P. Jean Chrysostome*, du *P. Surin...* (*Œuvres complètes*, ed. Migne, 3 vol., 1856). — D. Courbon, *Instruction familière sur l'oraison mentale en forme de dialogue*; *le Bonheur d'une âme qui a trouvé Dieu dans l'oraison*; *Introduction à la vie intérieure en forme d'entretien*, 1695, et alii tractatus plerumque anonymi.

117. 4) **Vitae Sanctorum, diaria et scripta spiritualia.**

a) Hac etiam aetate multae **relationes** a Dei servis de propria vita spirituali et de acceptis a Deo gratiis conscriptae, et vel ex integro editae, vel in eorum vitis late excerptae. Praeter iam dicta, praecipue memoranda:

Ex ordine Carmelitarum:

S. Maria Magdalena de' Pazzi (1566-1607), *Vita ed estasi*, 3 vol., 1893; *Avvertimenti*, Torino, 1904; melius *Estasi e lettere scelte*, ed. crit. Vaussard, Firenze, 1924.

B. Maria ab Incarnatione (Mme Acarie, † 1618), *Vita* ab eius directore Duval, 1621; et eius filia Margarita a SS. Sacramento († 1648), *Vita* a P. Amelotte, Orat., 1655. — Caecilia a Nativitate († 1646), *De la transformación del alma en Dios; De la Unión del alma con Dios* (in edit. S. Ioannis a Cruce, Toledo, 1914, III, Appendix). — Teresia a Iesu Maria († 1648), *Obras*, ed. Madrid, 1921. — Et vita primarum Carmelitarum excalc., Annae a Iesu († 1621), Isabellae a S. Dominico († 1623), Annae a S. Bartholomaeo († 1626), *Autobiographia*, trad. Bouix, 1869.

118. Ex ordine S. Francisci:

Ven. Maria ab Agreda (1602-1665), *Mistica ciudad de Dios*, ed. 1670, ubi revelationes de vita Christi circa quas longae disceptationes; *Escala para subir a la perfección; Leyes de la esposa* (nova ed. Barcelona, 1911-1920, 7 vol.). — S. Veronica Giuliani (1660-1727), *Diario*, ed. Pizzicaria, Prato, 1895-1905, 8 vol.: relationes et diarium spirituale 1693-1719, editio incompleta. — B. Crescentia Hoess a Kaufbeuren (1682-1744), *Vita* a P. Jeiler, 1901 et *Acta causae* in Hagiograph. Jahresbericht, 1903.

Ex ordine S. Dominici:

S. Catharina de Ricci (1535-1590), *Epistulae*, ed. Guasti, 1815 et 1890; *Vita* a Razzi, 1594. — Ven. Agnes a Iesu († 1634), *Vita* a D. de Lantages, 1665, reed. 1863. — S. Rosa Limana (1586-1617), *Vita* a P. Hansen OP., AA. SS. August. 26 t. V.

Ex ordine S. Benedicti:

Ioanna Deleloë (1604-1660) *Autobiographia, Epistulae*, « *Communications* », ed. Sodar, 1925, Maredsous (Coll. Pax). — B. Ioanna M. Bonomo (1606-1670), *Vita* a P. Bracco, 1883. — Maria Crucifixa a Conceptione († 1699), *Scelta di lettere spirituali*, 1704; *Vita* a Turano, 1709. — Caecilia Baij (1694-1766), *Vita interna di Gesù Cristo*, 2 vol., Viterbo, 1920-21, et alia scripta; *Vita* eius a P. Bergamaschi, 2 vol., ibid., 1923-25.

Ex ordine SS. Trinitatis:

Ven. Angela Maria a Conceptione (1649-1690), *Autobiographia*, ed. Quintanar (Hispania), 1901; *Riego espiritual para nuevas plantas*, Felanitx, 1904.

119. Ex ordine Visitationis:

* S. Ioanna Francisca de Chantal (1572-1641), *Mémoires* de eius vita a M. de Chaugy (ab eadem *Vies des premières religieuses de la Visitation,* reed. Paris, 1852); opuscula et epistulae (*Œuvres* cum vita, 8 vol., Paris, 1874-80). – * S. Margarita Maria Alacoque (1647-1690), *Autobiographia,* relationes et varia scripta de cultu SS. Cordis (*Œuvres*, ed. Gauthey, Paris, 1915, 3 vol.).

— Orsola Benincasa (1547-1618), institutrix Theatinarum, *Vita* a Maggio, 1655. — Armelle Nicolas († 1671), *Triomphe de l'amour divin* (eius vita a Ioanna a Nativitate, monacha S. Ursulae, 1683).

* Ven. Maria ab Incarnatione (Dna Martin, 1599-1672), ex ordine S. Ursulae, cuius vitam scripsit eius filius D. Martin OSB., Paris, 1677, integre in ea proponens eius *Relation* ad directorem anni 1654 et fragmenta aliorum scriptorum spiritualium, eiusque edidit *Lettres,* 2 vol., 1681; paratur nova editio critica.

120. *b*) **Vitae Sanctorum** et Servorum Dei permultae eadem aetate editae, in quibus lata et explicita tractatio habetur de virtutibus et de vita spirituali eorum, unde nonullae fiunt veri tractatus de vita religiosa vel sacerdotali, aut de vita spirituali in genere, et eo magis attendendae sunt quod ipsi auctores aliquando sunt viri magis spirituales. Sic verbi gratia, praeter iam dicta: vitae *S. Philippi Neri* a Gallonio et Bernabei; *S. Ioannis a Cruce* a Hieronymo a S. Ioseph et a Ioseph a Iesu-Maria; *S. Aloysii Gonzaga, S. Ioannis Berchmans* et *S. Magdalenae de' Pazzi* a P. Cepari; *S. Vincentii a Paulo* ab Abelly; *S. Pauli a Cruce* a B. Vincentio Strambi; *Dni. de Renty* a P. Saint-Jure, etc.

121. *c*) Hac etiam aetate latius diffunduntur et magnum habent influxum in vitam spiritualem *Vitae Sanctorum breviores*, in unum collectae, saepe in singulos anni dies distributae. Iam medio aevo similes habentur collectiones: apud Graecos Simeon Metaphrastes (saec. X, PG. 114-116); apud latinos Caesarius ab Heisterbach († c. 1240, *Dialogus miraculorum,* ed. Strange, 1850; *Libri miraculorum,* ed. Meister, 1901), sed praesertim Ia-

COBUS A VORAGINE († 1298) in sua *Legenda Sanctorum* (*Legenda aurea*, ed. GRAESSE, 1890). Iam, post MOMBRITIUM († ante 1502, *Sanctuarium*, reed. 2 vol., Paris, 1910), Aloysius LIPPOMANUS († 1559) collegit *Sanctorum priscorum vitas* (8 vol., 1551-60); iterumque post eum Laurentius SURIUS, *de Probatis SS. historiis* (6 vol., 1570-75). — Quas collectiones multi postea retractaverunt et variis linguis vulgaverunt, ut Petrus RIBADENEIRA SI. († 1611), *Flos Sanctorum o Libro de las vidas de los Santos*, Madrid, 1599; Franciscus GIRY, O. Minim. († 1688), *Vie des Saints*, 1683; Albanus BUTLER († 1773), *Life of the Fathers, Martyrs and others principal Saints*, 1745; Albanus STOLZ († 1883), *Legende*, 1851; Paulus GUÉRIN, *les Petits Bollandistes*, 1860 (quod opus nihil commune habet cum *Actis SS.*).

122. Criticum studium documentorum hagiographicorum, post Heribertum ROSWEYDE SI. (1569-1629), suscepit Ioannes BOLLANDUS SI. (1596-1665), cum sociis et successoribus in collectione *Acta Sanctorum* (1643 ss. hucusque 64 vol., secundum ordinem Calendarii usque ad diem 10 nov.), in quibus refertur textus Vitarum antiquarum cum prolegomenis et notis; quapropter multa habentur documenta spiritualia, cf. Indicem singulorum voluminum et indicem generalem a RIGOLLOT, pro mensibus Ianuar.-Octobr.

123. *d*) Post decreta praesertim Urbani VIII circa beatificationem et canonizationem SS. (1634), plures auctores scripserunt non tantum de modo procedendi in conficiendis processibus, sed etiam de principiis secundum quae Ecclesia solet aestimare sanctitatem et iudicare de gradu heroico virtutum: sic iam Fortunatus SCACCHI OSA., *de Cultu et veneratione SS.* t. I (unicus, Romae, 1639); sed praesertim * BENEDICTUS XIV († 1758), *de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, 1734, inprimis lib. III.

124. 5) **Errores, controversiae, documenta ecclesiastica.**

a) *Humanistae* aliqui scripserunt libros de vita spirituali vulgatissimos, sed in quibus plura naturalismo vel protestantismo favebant: sic Desiderius ERASMUS (1466-1536), *Enchiridion militis christiani*, 1502; Iacobus LEFÈVRE d'ETAPLES (1455-1536), *Psalterium quincuplex*, 1509 et alia; Ioannes VALDÈS († 1541),

Alfabeto cristiano, 1546 (quae tria opera ab Ecclesia damnata sunt).

b) *Protestantismus* propter suos errores de libertate, de merito, de bonis operibus, in vitam spiritualem inducebat mere passivam et quietismo parabat vias; hinc conatus Lutheri (1483-1546) ut auctoritates quaereret apud mysticos medii aevi, speciatim sic dictam *Theologiam germanicam* (*Theologia Deutsch,* saec. XIV, anonym. ab ipso Luthero edit. 1516, ed. crit. Pfeiffer, 1900). Cf. eius propos. damnatae a Leone X, 1520, n. 6-7, 31-32, 35-36, Denz. B. 746 ss.; Cavall. 1209, 869; doctrina autem catholica definita in integra sess. VI *Concilii Tridentini,* 1547, Denz. B. 793-843, Cav. 872-92. — Contra eosdem Sess. XXIV, Can. 10 definit valorem virginitatis, D. B. 981, Cav. 1402.

125. *c*) Michael Baius (1513-1589) errores protulit de merito (prop. 7-20, Denz. B. 1007-20, Cav. 894) et de caritate (30-88, D. B. 1030, C. 895-97) qui damnati sunt a S. Pio V, 1567.

Cornelius Jansenius (1585-1638) evolvit principia Baii de caritate in suo *Augustinus,* 1640, cum Ioanne du Vergier de Hauranne (St. Cyran) (1581-1643) qui rigorismum moralem et spiritualem propugnat, *Théologie familière avec divers autres petits traités de dévotion,* 1642; *Lettres chrétiennes et spirituelles,* 1645. Ex eorum sequacibus praecipue hic attendendi: Antonius Arnauld (1694), *De la fréquente communion,* 1643. — Blasius Pascal (1623-1662), *Pensées* et aliqua *opuscula* (ed. Brunschvicg, 1908 ss.). — Petrus Nicole (1625 1695), *Essais de morale,* 1671 ss., 13 vol. — Iacobus Duguet († 1733), *Traité de la Prière publique,* 1707; *Lettres sur divers sujets de morale et de piété,* 1708, etc. — Cf. H. Bremond, *Hist. du Sentiment religieux en France,* t. 4, 1920.

In documentis contra Ianseniſmum, vitam spiritualem magis spectant, propositiones damnatae ab Alexandro VII, 1690, n. 9-14, 22-23 (D. B. 1299 ss., Cav. 906, 1157); prop. Quesnellii damnatae in Bulla *Unigenitus* (Clemens XI, 1713), n. 44-67 (D. B. 1394 ss., Cav. 910). De frequenti Communione ediderat decretum Innocentius XI, 1679 (D. B. 1147, Cav. 1160), occasione doctrinae erroneae oppositae errori ianseniano. Inter errores synodi *Pistoriensis* a Scipione Ricci habiti 1786, postea a Pio VI damnatos, 1794, attendendi hic, praeter eos qui ad gratiam spec-

tant, n. 23-25 (de caritate), 31-33, 39-43, 61-67, 69-74 (de exercitiis vitae christianae), 80-84 (de vita religiosa), D. B. 1523 ss., Cav. 918, 838, 1218, 1272, 839, 418.

126. *d*) **Quietismum** praeformaverunt in Hispania *Illuminati* (*Alumbrados*) renovantes errores *Fratrum de libero spiritu*, inde ab ineunte saeculo XVI, quos damnavit pluries Inquisitio hispanica (1529, Toleti; 1574, Llerena); eorum errores iterum damnati anno 1623 habentur apud Arbiol, *Desengaños misticos*, V, c. 5, et aliter apud Terzago, *Theol. hist. myst.*, I, § 5 (cf. ibid. § 6 de *Pelaginis* damnatis 1656 Brixiae, cum erroribus eorum).

Ipsum quietismum (passivitas absoluta tum in oratione, tum contra tentationes; neglectus exercitii virtutum, cultus exterioris...) praecipue docuit Michael Molinos (1628-1696), *Guia espiritual*, Romae, 1675; *Breve tratado de la comunión cuotidiana*, 1675; *Cartas* (de oratione mentali), 1676. Damnatus est ab Innocentio XI, 1687: propositiones eius 68 apud Denz. B. 1221 ss.; Cavall., 927-39; Sententia S. Officii apud Dudon, *Molinos*, Paris, 1921, p. 274-292, cum duobus praeviis documentis. — Similes errores docuit Cardin. Petrus Petrucci († 1701), *Lettere e trattati spirituali e mistici*, 1676-78; *I mistici enigmi revelati*, 1680; *Della contemplazione mistica acquistata*, 1681; quos errores abiurare debuit coram S. Officio 1687 (formula cum 54 propos. apud Dudon, *loc. cit.*, p. 299-306).

Post damnatum quietismum, plura scripta antiquiora in Indicem relata sunt utpote iis erroribus ansam praebentia vel aperte faventia: sic (praeter iam dicta a Surin, Bernières, Canfeld), Ioannes Falconi, *Cartilla para saber leer en Cristo*, 1651; *Lettera scritta ad un religioso* (alia eius opera in *Obras espirituales*, 1660; *El pan nuestro de cada día*...). — Franciscus Malaval, *Pratique facile pour élever l'âme à la contemplation*, 1664-70. — Thomas Menghini, OP., *Opera della divina grazia*, 1680; *Lume mistico*, 1682 (excerpta ex praecedenti).

127. Mitigatum quietismum, seu *semiquietismum* in Gallia docuerunt Franciscus Lacombe, *Lettre d'un serviteur de Dieu*, 1685; *Orationis mentalis analysis*, 1685. — Dna Ioanna Guyon (1648-1717), *Moyen court et très facile pour l'oraison*, 1685; *Règles des associés de l'enfance de Jésus*, 1685; *les Torrents* (*Œuvres*,

